


# PALAESTRA LATINA



ANN. XLII (FASC. I). — N. 217  
M. MARTIO — A. MCMLXXII

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CaesarAugustae edendi

*Praeses:* J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.  
*Moderator:* Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.  
*Praecipui scriptores:* Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

---

Depósito legal Z. 191. - 1966

Ediur Ordinarii et Superiorum licentia

## I N D E X

ANN. XLII (Fasc. I). — N. 217

M. MARTIO — A. MCMLXXII

AEM. ORTH, <i>De Quintiliano (c. 35-96)</i> ... ..	1
R. SARMIENTO, <i>In rerum natura miracula</i> ... ..	11
R. AVALLONE, SS. <i>Virgini Rosarii Pompejanae supplicatio</i> ... ..	15
R. AVALLONE, J. M. MIR, <i>Commercium epistularum inter socios.</i>	19
TH. CIRESOLA, <i>Zenonis Franciscalis Capulati sepulcrum</i> ... ..	23
AEM. PIOVESAN, <i>Quaenam Corneli Nepotis vitae adolescentibus illustrandae sint</i> ... ..	27
J. MARINELLI, <i>De re cosmonautica</i> ... ..	29
M. MOLINA, <i>Bibliographia</i> ... ..	35

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARIUM

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

---

ANN. XLII (Fasc. I). — N. 217

M. MARTIO

MCMLXXII

---

## DE QUINTILIANO (c. 35-96)

In memoriam Doctoris Aemilii Orth, qui Palaestrae Latinae paginas scriptis suis saepe honestavit, haec de Quintiliano quae apud nos vulganda reliquit cum Hispaniam olim visitare solebat itineribus scientificis, nunc typis mandamus.

Quintilianus, clarissimus ille rhetor romanus in Hispaniae oppido Calagurri c. annum 35 natus est, quem pater ipse rhetor Romae educavit artemque oratoriam edocuit; anno 69 Quintilianus orator in foro romano exstitit et advocatus patronusque reos defendit; jam tum simul adulescentes tam feliciter eloquentiam docuit, ut senex praeceptor nepotum imperatoris Domitiani (81-96) fieret.

Scriptis opera duo: unum «*De Causis Corruptae Eloquentiae*» opusculum periit, alterum inscriptum est «*Institutio Oratoria*», quod 12 libros complectens ad tempora nostra integrum pervenit et editum est a *Ludovico Radermacher* (Lipsiae, in aedibus Teubnerianis duobus voluminibus: I 1907, II 1935).

Quintilianus Ciceronem (106-43) admiratus et imitatus est; per intervallum centum annorum inter hos ambos oratores praeteritum magna de Cicerone disputatio in scholis grammaticis et rhetoricis habita est: id quod e Quintiliani doctrina facile potest percipi: Cicerone unica eloquentiae romanae norma et columna constituitur; Ciceronianismus a Quintiliano quidem omnifariam commendatur, cuius auctoritas centum annis post a Frontone (c. 100-c. 169), cultore priscae latinitatis ac praeceptore imperatoris Marci Aurelii (161-180), labefactari coepta est; Quintilianus eloquentiam tantum Tullii prorsus laudavit et summopere fovit, dum ejusdem philosophiam omni-

no praeterit; sine Suada Ciceronis intellegi nequit Quintilianus; Demosthenes, summus graecorum orator, non talem laudatorem nactus est quem Cicero Quintilianum suum praekonem praecipuum.

Institutio Oratoria nititur tota fere in Ciceronis orationibus et scriptis rhetoricis; Quintiliani autem ipsius orationum neque inscriptiones neque loci afferuntur; quamvis universale Ciceronis fuerit ingenium, tamen satis angustus cogitationum adpectus illius eloquentissimi romani apud Quintilianum ostenditur; Cicero scriptor republicanus artiumque liberalium fautor strenuus fuit et Quintilianus primus professor imperii romani publicus rhetoricae alienus a philosophia et arte poetica, qui paria ac pater sedulo tractavit; Tullii vero disciplinam oratoriam in artem bene ordinatam et concinnam summatim redegit; Quintilianus magis quam Cicero doctrinam graecorum rhetoricam respexit; praesertim libro «Institutionis» decimo cuncti auctores optimi utriusque nationis graecae et romanae generatim aestimantur, quo labore sine dubio Ciceronem superavit et in aeternum claruit; uterque postremo ad juris romani scientiam multum profuit (Cfr. EMILIO COSTA: Cicerone giureconsulto. Bologna, 1927).

Memoriae certe dignum est Quintiliani iudicium de Seneca philosopho (10,1,125-131); uterque auctor natione hispanus fuit et ex patre rhetore natus paulo post Romam translatus ibique eruditus postremo ad imperatorem romanum educandi gratia vocatus est; Quintilianus quamquam modum scribendi a Seneca aliquatenus aemulando didicit tamen hunc philosophum abundanter castigat; verum etiam illum non potest non laudare ob artem eleganter dicendi, ut Quintilianus inter odium et admirationem Senecae invidiosus pendere videatur; idem autem Seneca morum propter philosophiam suam auctoritate multo majore usus est quam Quintilianus professor eloquentiae, id quod documento est sapientiam summo jure magis valere quam rhetorica; nihilo secius Quintiliani opus valde est laudabile atque dignissimum, quod semper lectitetur.

Quintilianus in eis romanorum scriptoribus, numeratur, qui plurimas imagines elocutionis adhibuerunt; quin etiam plus quam Cicero comparationibus et metaphoris usus est; imprimis similitudines in Tullii scriptis rhetoricis obviae maximam partem apud Quintilianum reperiuntur; iste professor id quod de figuris docuit, ipse in opere «Institutionis» accurate atque amplissime secutus est; ut doctrinae aliquid nitoris admisceret, tot sententias applicuit; re vera cupidissimus sententiarum fuit, ut doctor sententiosus judicari possit; de his sententiis habet talia verba: «sententia est... si quid ita visum gentibus, populis, sapientibus viris, claris civibus, illustribus poetis referri potest... liberis odio et gratia mentibus ideo tantum dicta... quia aut honestissima aut verissima videbantur» (5,11,36); praeterea dicit: «ea quae vulgo recepta sunt, hoc ipso quod incertum

auctorem habent, velut omnium fiunt... neque enim durassent haec in aeternum, nisi vera omnibus viderentur» (5,11,41); porro: «illa septem praecepta sapientium... quasdam vitae leges existimamus» (5,11,39); et sunt «tradita antiquitus dicta» (12,2,29); denique (sententiae) «feriunt animum et uno ictu frequenter impellunt et ipsa brevitate magis haerent et delectatione persuadent» (12,10,48); accedit hoc: «sententiam veteres, quod animo sensissent, vocaverunt... non raro tamen et sic locuti sunt, ut sensa sua dicerent; nam sensus corporis videbantur; sed consuetudo jam tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus» (8,5,1-2); sententia etiam ἀποφθεγματιζόν (6,3,109) dicebatur.

Jam sententiae ex Institutione Oratoria Quintiliani collectae ordine alphabetico sequuntur:

in cibis interim *acor* ipse jucundus est (9,3,27); nihil est odiosus *adfectatione* (1,6,40); in *affectibus* fere plus calor quam diligentia valet (10,3,18); nullus rationi magis obstat *adfectus* (iracundiae) (6,4,10); *admirabile* vocant, quod est praeter opinionem constitutum (4,1,41); in satis omnibus fructibusque arborum nihil ad justam magnitudinem *adulescere* potest, quod loco in quem crescat, caret (8,5,26); firmiores in litteris profectus alit *aemulatio* (1,2,26); desinit in *adversa* niti, qui pervenit in summum (12,10,78); vocum et in singulis *ambiguitas* frequens et adhuc in conjunctis magis (5,10,106); licet ipsa vitium sit *ambitio*, frequenter tamen causa virtutum est (1,2,22); (*analogia*) non ratione nititur, sed exemplo (1,6,16); non... *analogia* demissa caelo formam loquendi dedit, sed inventa est, postquam loquebantur (homines) (1,6,16); id facillime accipiunt *animi*, quod agnoscunt (8,3,71); semper *animis* praestat, in quod se velut novum intendant (9,2,63); natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus *animis* percepimus (1,1,5); maxima pars eloquentiae constat *animo* (1,2,30); si viribus deficiemus, *animo* tamen perseverandum (4,7); nec est mirum magis haerere *animo*, quae diutius adfixa sint (11,2,44); per quos duos sensus (oculos et aures) omnis ad *animum* penetrat adfectus (11,3,14); is (*animus*) quo generosior celsiorque est, hoc majoribus velut organis commovetur ideoque et laude crescit et impetu au-

getur et aliquid magnum agere gaudet (1,2,30); neque enim se bona fide in multa simul intendere *animus* totum potest, et quocumque respexit, desinit intueri quod propositum erat (10,3,23); multa quotidie ab *antiquis* ficta moriuntur (8,6,32); tot nos praeceptoribus, tot exemplis instruxit *antiquitas*, ut possit videri nulla sorte nascendi aetas felicior quam nostra, cui docendae priores elaborarunt (12,11,22); naturae ipsi *ars* inerit (9,4,120); *ars* constat ex perceptionibus consentientibus et coexercitatis ad finem utilem vitae (2,17,41); (*ars*) constitui sine perceptione non potest, quae semper vera est (2,17,18); *ars* earum rerum est, quae sciuntur (2,17,37); in eo, quod qui didicerit, melius faciat quam qui non didicerit, est *ars* (2,17,42); nihil *ars* sine materia (est) (2,19,3); omnes *artes* habent materiam (2,17,17), *ars* summa materia optima melior (est) (2,19,3); nec... *ars* ulla consummatur ibi, unde oriendum est (3,9,9); tradi omnia, quae *ars* efficit, non possunt (7,10,9); omnia, quae *ars* consummaverit, a natura initia duxerunt (2,17,9); nulla mansit *ars*, qualis inventa est, nec initium stetit (10,2,8); res nec ulla sine *arte* satis valet (9,4,7); facient natura duce melius quam *arte* (9,4,120); cogitemus: homines ante invenisse *artem* quam docuisse (7,10,10); adeo similis est *arti* plerumque natura (8,3,86); quaelibet ex *artibus* in paucos libros contrahi solet (12,11,16); *artus* etiam leviter loco moti perdunt quo vignerunt usum (7,2); quo quid est

natura magis *asperum*, hoc pluribus condiendum est voluptatibus (5,14,35), senibus *auctoritas* major est, quod plura nosse et vidisse creduntur (12,4,2); morum senilis *auctoritas* immatura in adolescentibus creditur (11,1,32); cultus concessus atque magnificus addit hominibus... *auctoritatem* (8,20); philosophi quamquam inferiora omnia praeceptis suis ac litteris credunt, repetere tamen *auctoritatem* a pluribus versibus non fastidierunt (5,11,39); habitus triumphalis, quo nihil, excogitari potest *augustius* (11,1,3); (fulgor) *auri* argentique, imbellis et potius habenti periculosus (10,1,30); se quisque *bene* dicere intellet (2,17,26); *bona* facile mutantur in pejus (1,1,5); nemo improbat *bona* (12,10,76); ut ad pejora juvenes laude ducuntur, ita laudati in *bonis* manent (5,12,22); eo, quod natura *bonum* est, bene uti licet (2,10,3); non deserendum id *bonum*, si quod ingenitum est, existimo, sed augendum addendumque, quod cessat (2,8,10); optimos et amicissimos habebit vir *bonus* (12,7,5); cum philosophum dicunt, hoc accipi volunt virum *bonum* (2,21,12); neque enim esse oratorem nisi *bonum* virum iudico (1,2,3); *bonos* numquam honestus sermo deficiet, numquam rerum optimarum inventio (12,1,30); *bonos* viros et prudentissimos dicimus vulgo, quorum nihil nisi perfecte sapienti datur (12,1,19); est consequens sapientiae *bonitas* (5,10,75); omnia *breviora* reddet ordo et ratio et modus (12,11,13); *cacozelon* vocatur, quidquid est ultra virtutem (8,3,56); exhausto labore quod non ratione scrutabimur, non poterimus invenire nisi *casu* (5,10,22); *certa* sunt ... pleraque, et nisi coniveamus, in oculos incurrunt (10,3,16); ille se profecisse sciat, cui *Cicero* valde placebit (10,1,112); quosdam *claritas* ipsa notiores circa vitia et invisos magis fecit (3,7,19); debet, quod illustrandae alterius rei gratia adsumitur, ipsum esse *clarius* eo, quod illuminat (8,3,73); *cogitare* optima simul ac deterrima non magis est unius animi quam ejusdem hominis bonum esse ac malum (12,1,4); *communia* ex praeceptis accepimus, propria inveniendae sunt (5,10,103); fere *communia* gene-

ralia sunt (7,1,28); necesse est nimium tribuat sibi, qui se nemini *comparat* (1,2,18); durissima in materia simili *comparatio* est (10,1,51); infinita est rerum *comparatio* (5,10,91); est invicem *consequens* et quod ex diversis idem ostendit (5,10,79); frustra sine *consilio* traduntur ceterae artes (6,5,11); nihil est non modo in orando, sed in omni vita prius *consilio* (6,5,11); citra *constantiam*, fiduciam, fortitudinem nihil artes, nihil studium, nihil profectus ipse profuerit (12,5,2); *consuetudinem* sermonis vocabulo consensum eruditorum sicut vivendi consensum bonorum (1,6,45); *consuetudine*... difficultas omnis levatur (11,3,24); unde (=ex *consuetudine*)... tantum boni (sc. fit), ut pluribus, quae recta sunt, placeant (1,6,44); *consuetudo* et exercitatio facilitates maxime parit (10,7,8); *consuetudo* certissima loquendi magistra (1,6,3); celeritatem dabit *consuetudo* (10,3,9); humiles abjectosque (sequitur) *contemptus* (4,1,14); ubi *contradictioni* locus non est, quae potest esse causa dubitandi? (3,8,34); plurima *contrariis* probantur (12,1,35); corpus in lumine utique umbram facit (5,10,80); umbra, ubicumque est, ibi esse *corpus* ostendit (5,10,80); *credere* modo, qui discet, velit (8,12); non, si quid est altero *credibilius*, id ei contrarium est (2,17,34); nemo nisi sua *culpa* diu dolet (6,13); natura est omnibus augendi res vel minuendi *cupiditas* insita (8,6,75); protinus adhibere *curam* rectius erit atque ab initio sic opus ducere, ut caelandum, non ex integro fabricandum sit (10,3,18); qui *cursu* parum valent, flexu eludunt (9,2,78); ipsam utilitatem vincet, quod *decet* (11,1,9); ab eo, quod *decet*, utilitatem separamus (11,1,12); comitatur semper artem *decor* (9,4,7); neque enim ubique idem aut licet aut *decorum* est (5,10,40); *deficit* omne quod nascitur (5,10,79); minus longa, quae *delectant*, videntur (4,2,46); non potest esse *delectus*, ubi numero laboratur (8,5,30); omnis *deliberatio* de dubiis est (3,8,25); non est indulgendum causis *desidiae* (10,3,29); turpiter *desperatur*, quidquid fieri potest (1,10,8), *Deus* ille princeps parens rerum fabricatorque mundi nullo magis homi-

nem separavit a ceteris... animalibus quam dicendi facultate (2,16,12); nemo non *didicisse* mavult quam discere (3, 1,6); *difficiliora* debent esse, quae exercent, quo sit levius ipsum illud, in quod exercent (11,2,42); (natura) prae-  
 posuit pulcherrimo cuique operi *difficultatem* (10,3,4); scribendum quam *diligentissime* et quam plurimum (10, 3,2); studium *discendi* voluntate, quae cogi non potest, constat (1,3,8); omnis *disciplina* memoria constat (11,2,1); omnis *disciplinae* initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus (10,2,2); si *divina* nostris animis origo, tendendum ad virtutem nec voluptatibus terreni corporis serviendum (12, 2,21); modus et finis... esse citra *divisionem* nullus potest (10,7,6); frustra *docemur*, si, quidquid audimus, praeterfluat (11,2,1); *dociliora* sunt ingenia, priusquam obduruerunt (1,12,8); *doctis* est et electio et modus (2,12, 6); pudendum est magis, si difficultatem facit *doctrina* (10,3,16); confitendum est etiam detrahare *doctrinam* aliquid ut limam rudibus et cotes herbis et vino vetustatem (2,12,8); non nominibus prosunt, sed *effectibus* (9,1,8); quidquid in suo genere satis *effectum* est, valet (8,3,88); *elementa*... tantum initia erunt ut mundi vel umor vel ignis vel materia vel corpora insecabilia (3,3,13); quamlibet pulchra *elocutio*, nisi ad victoriam tendit, utique supervacua, sed interim etiam contraria est (2,4,32); omnis *eloquentia* circa opera vitae est (8,3,71); res pulcherrima eloquentia (12,1,32); haec *eloquentia* regnat (6,2,4); philosophia simulari potest, *eloquentia* non potest (simulari) (12,3,12); non esset in rebus humanis *eloquentia*, si tantum cum singulis loqueremur (1,2,31); ira nonnumquam indoctis quoque *eloquentiam* facit (6,2,26); *eloqui*: hoc est omnia, quae mente conceperis, promere atque ad audientis perferre, sine quo supervacua sunt priora et similia gladio condito atque intra vaginam suam haerenti (8 pr. 15); qui recte dividerit, nunquam poterit in rerum ordine *errare* (11,2,36); omnium quaecumque docemus, ... sunt exempla potentiora etiam ipsis quae traduntur artibus (10,1,15); *exempla* plurimum in consi-

liis possunt, quia facillime ad consentiendum homines ducuntur experimentis (3,8,36); iis, quae in *exemplum* adsumimus, subest natura et vera vis (10,2,11); continua dicendi *exercitatio* id potentissimum discendi genus est (2,17,12); in omnibus fere minus valent praecepta quam *experimenta* (2,5,15); divitiae et potentia et gratia, cum plurimum virium dent, in utramque partem certissimum faciunt morum *experimentum* (3,7,14); totum *exprimere*, quem elegeris, paene est homini inconcessum (10,2,26); illa quae utcumque deflexa sunt, tamquam *exquisitorum* miramur (2,5,11); de *faciendo* deliberatur (3,8,22); *facilius* est multa facere quam diu (1,12,7); plerumque *facilius* est plus facere quam idem (facere) (10,2,10); *falsa* quoque frequenter veri similia (sunt) (4,2,34); minus adficit sensus *fatigatio* quam cogitatio (1,12,11); nulla aetas minus *fatigatur* (quam pueri) (1,12,8); optabile est plus *favoris* mereri (4,1,44); et *ferrum* adfert oculis terroris aliquid (8,3,5); (fulgor) *ferri*, quo mens simul visusque praestringitur (10,1,30); difficillima est gravissimi cujusque sceleris *fides* (4,3,6); *fiducia* ipsa solet opinione adrogantiae laborare (4,1,33); optima emendatio verecundiae *fiducia* (12,5,4); omnes artes habent *finem* aliquem propositum, ad quem tendant (2,17,22); *finitione* comprehendi nihil non in universum certum erit (3,5,10), nec pauciores animorum paene quam corporum *formae* (sunt) (2,8,1); *fortuna*... dignitatem adfert, fortuna... gloriam parit (3,7,13); plerumque videntur respondere *futura* praeteritis (3,8,66), est... omnis *generalis* quaestio speciali potentior (12,2,18); in terra non omnia *generantur* omnia (5,10,21); ut *genus* species sequitur, ita speciem genus praecedit (7,1,59); totidem sunt ascendentibus quot descendentibus *gradus* (8,4,28); *grammatica* est necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis secretorum comes (1,4,5); *grammatica* plus habet in recessu quam fronte promittit (1,4,2); *grammatica* vel sola omni studiorum in genere plus habet operis quam ostentationis (1,4,5); mihi inter virtutes *grammatici* habebitur aliqua nescire (1,8,21); pessimus certe *guber-*

nator, qui navem, dum portu egreditur, impegit (4,1,61); *hilaria* omnibus convenient (6,3,28); *honesta* (verba) turpibus potiora semper (8,3,17); *honesti* ... honestis suadere facillimum est (3,8,38); saepe... utilitatem despicendam esse dicimus, ut *honesti* faciamus (3,8,30); dedit hoc providentia hominibus munus, ut *honesti* magis juvarent (1,12,18); brevis est institutio vitae *honestae* beataeque, si cedas naturae (12,11,12); est, quod omnes et semper et ubique deceat, facere ac dicere *honeste* (11,1,14); eadem speciosiora quoque sunt quae *honestiora* (12,10,47); quid est *honestius* quam docere, quod optime scias? (12,11,6), probabilis (est) cupiditas *honestorum* et velut tutioris audentiae est temptare, quibus paratior venia est (12 pr. 5), in eodem pectore nullum est *honestorum* turpiumque consortium (12,1,4); vitiosissima (est) *humanitas* qualiacumque laudandi (2,2,10); quotiens discessit aemulatio, succedit *humanitas* (11,1,16); nec incendit nisi *ignis* (6,2,28); hoc est maximum ignorantiae malum, quod credit eum scire, qui moneat (12,3,3); *imitabilia* non sunt... quidquid arte non traditur (10,2,12); libentius *imitamur* eos quibus favemus! (2,2,8); frequens *imitatio* transit in mores (1,11,2); omnis *imitatio* facta est et ad alienum propositum commodatur (10,2,11); nihil crescit sola *imitatione* (10,2,8); artis pars magna continetur *imitatione* (10,2,1); quidquid alteri simile est, necesse est minus sit eo, quod *imitatur* (10,2,11); quod *imitaturus* est, quisque intellegat et quare bonum sit, sciat (10,2,18); turbati exercitus sibi ipsi sunt *impedimento* (7 pr. 2); *improbissimo* cuique pleraque fingendi licentia est (1,8,21); nihil est tam *indecens* quam cum mollia dure fiunt (10,2,19); *indecorum* est... omne nimium (11,1,91); *indubitata* vim habent paene signorum immutabilitium (5,10,74); in aetatem *infirmam* et injuriae obnoxiam nemini debet nimium licere (1,3,17); adversus miseros *inhumanus* est jocus (6,3,33); *iniquorum* ratio noscenda est, ut melius aequa tueamur (3,8,42); habent omnia *initium*, incrementum, summam (5,10,71); magis *inopinata* delectant (8,6,51),

majora *intellectu* velut parum apertos ad percipiendum animos non subibunt (1,2,28); evenit nonnumquam, ut aliquid grande *inveniat*, qui semper quaerit, quod nimium est (2,12,5); potentes sequitur *invidia* (4,1,14); nec magis arte traditur (*judicium*) quam gustus aut odor (6,5,1); (dicendi ratio=) *jus* ipsum rhetorices (1 pr. 23); *justum* omne continetur natura vel constitutione (7,4,5); nulla res est, quae perferre possit continuum *laborem*, atque ea quoque, quae sensu et anima carent, ut servare vim possint, velut quiete alterna retenduntur (1,3,8); periisse... confitendum est praeteritum *laborem*, cui semper idem laborandum est (10,7,4); *lacrimas*... natura mentis indices dedit (11,3,75); pendemus ex *laude* atque hanc laboris nostri ducimus summam (4,2,127); *laus* vita potior est (2,16,8); interim quae per se *levia* sunt et infirma, turba valent (4,5,7); *libentissime* homines audiunt ea, quae dicere ipsi noluisse (2,12,5); *liberos* natura omnis et iisdem constare elementis et fortasse antiquis etiam nobilibus ortos dici potest (3,8,31); quae in aliis *libertas* est, in aliis licentia vocatur (3,8,48); praecipue acuit ad cupiditatem *litterarum* amor laudis (12,1,8); hic est usus *litterarum*, ut custodiant voces et velut depositum reddant legentibus (1,7,31); credendum doctissimis hominibus, qui unicum adversorum solacium *litteras* putaverunt (6 pr. 14); quid tam necessarium quam recta *locutio*? (1,6,20); *longa* est, quae discit, aetas (1,12,14); quidquid *loquemur* ubicumque, sit pro sua scilicet portione perfectum (10,7,28); *lumina*... plane inter tenebras clariora sunt (2,12,7); non iudicio discipulorum dicere debet *magister*, sed discipulus magistri (2,2,13); *majora* (signa) minorum esse nemo miratur (5,9,16); frustra *mala* omnia ad crimen Fortunae relegamus (6 pr. 13); *mala* multi probant, nemo improbat bona (12,10,76); licentiam *malis* dari certe contra bonos est (12,7,1); parentes *malorum* odimus (3,7,21); in comparatione *malorum* boni locum obtinet levius (7,4,12); naturaliter apud



plurimos plus valet *malorum* timor quam spes bonorum sicut facilius eisdem turpium quam honestorum intellectus est (3,8,40); adeo discere meliora volentibus promptum est, ut vere intuendi mirum sit illud magis; *malos* esse tam multos (12,11,12); neque enim quisquam est tam *malus*, ut videri velit (3,8,44); non umquam *malus* idem homo et perfectus orator (12,1,9); vir *malus* aliud dicat necesse est quam sentit (12,1,30); nemo *malus* est nisi stultus (12,1,4); *manus*... in tanta per omnes gentes nationesque linguae diversitate... omnium hominum communis sermo videntur (11,3,87); est aliquid in omni *materia* naturaliter primum (3,8,6); *materiae* etiam sine arte pretium est (2,19,3); omnes artes habent *materiam* (2,17,17); una (*materia*)... diligenter effecta plus proderit quam plures inchoatae et quasi degustatae (10,5,23); observatum fere est celerius occidere festinatam *maturationem* (6 pr. 10); difficilius est *maturo* naturam suam fingere (10,2,20); initia litterarum sola *memoria* constant (1,1,19); omnis disciplina *memoria* constat frustra docemur, si, quidquid audimus, praeterfluat (11,2,1); *memoria*... thesaurus eloquentia dicitur (11,2,1); ingenii signum in parvis praecipuum *memoria* est (1,3,1); exercitur acrius *memoria* aliena complectendo quam sua (2,7,3); *mendacium* dicere etiam sapienti aliquando concessum est (2,17,27); habet *mens* nostra natura sublime quiddam et erectum et impatiens superioris (11,1,16); ne studio quidem operis pulcherrime vacare *mens* nisi omnibus vitiis libere potest (12,1,4); excitanda *mens* et attolenda semper est, quae in ejus modi secretis aut languescit et quendam velut in opaco situm ducit aut contra tumescit inani persuasione (1,2,18); cultus muliebris et luxuriosus non corpus exornat, sed detegit *mentem* (8 pr. 20); ipsis moribus omnis habitus *mentis* continetur (6,2,9); exhausti laboris nosse *mensuram* voluptati est et hortatur ad reliqua fortius exsequenda scire, quantum supersit (4,5,23); plurimi *mentiuntur* (12,8,9); quid illa *miserius* lege velut praeformatas infantibus litteras persequen-

tium? (5,14,31); singulorum fatigatio qualibet se rudi *modulatione* solatur (1,10,16); necesse est... regnare maxime *modum* (11,3,181); neque enim sunt *motus* in nostra potestate (6,2,29); regitur providentia *mundus* (12,2,21); *mutatione* recreabitur (1,12,5); nec pro *naenia* ducendum scelus primum (7,2,33); id est maxime naturale, quod fieri *natura* optime patitur (9,4,5); *natura* non docetur, arte tamen adjuvatur (6,4,12); nihil rerum ipsa *natura* voluit magnum effici cito (10,3,4); *natura* materia doctrinae est; haec (doctrina) fingit, illa (natura) fingitur (2,19,3); *natura* nos ad mentem optimam genuit (12,11,12); nihil praecepta atque artes valent nisi adjuvante *natura* (1 pr. 26); *natura* ducimur ad modos (9,4,10); vocet, ut voluerit quisque, dum vis rerum ipsa manifesta sit appareatque hoc temporis, illud esse *naturae* (5,10,75); magistrum respicientes *naturam* ducem sequi desierunt (5,10,101); ne consilium quidem videtur, ubi *necessitas* est (3,8,25); si plura sunt quae *nocent*, quae prosunt obruentur (4,2,101); quis nescit ignes, aquas, sine quibus nulla sit vita, et... solem lunamque praecipua siderum aliquando et *nocere*? (2,16,6); *numerorum* notitia cuicumque saltem primis litteris erudito necessaria est (1,10,35); *numerus* cadit in speciem quantitatis (3,6,26); contra *obscuritatem* partitio inventa est (4,5,25); *obstat* quidquid non adjuvat (8,6,61); *oculi* diversarum adspectu rerum magis detinentur (9,2,63); in ipso vultu plurimum valent *oculi*, per quos maxime animus emanat (11,3,75); acrior est *oculorum* quam aurium sensus (11,2,34); amantes de forma judicare non possunt, quia sensum *oculorum* praecipit animus (6,2,6); turpes ac nocentes (sequitur) *odium* (4,1,14); si in proponendo unum quodlibet *omiserimus*, cum risu quoque tota res solvitur (5,10,67); plerumque *optima* rebus cohaerent et cernuntur suo lumine (8 pr. 21); sunt *optima* minime accessita et simplicibus atque ab ipsa veritate profectis similia (8 pr. 23); ut novorum *optima* erunt maxime vetera (verba), ita veterum maxime nova (1,6,41); id ipsum *optime* fit, quando nos aliquid non optime fecisse

simulamus (8,2,24); quicquid est *optimum*, ante non fuerat (12,11,26); non semper putemus *optimum* esse, quod latet (10,3,16); reperto, quod est *optimum*, qui quaerit aliud, pejus vult (2, 15,38); *orandi* majestas, qua nihil di immortales melius homini dederunt et qua remota muta sunt omnia (12, 11,30); *oratio* efficitur arte ut statua (2,21,1); *oratio* perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta nervis consentiat (2,8,15); *oratio*, cujus summa virtus est perspicuitas, quam sit vitiosa, si egeat interprete? (1,6,41); profert mores plerumque *oratio* et animi secreta detegit (11,1,30); ne a potentissimis ad levissima decrescat *oratio* (5,12,14); *oratio* omnis constat rebus et verbis (8 pr. 6); omnis *oratio* constat aut ex iis quae significantur aut ex iis quae significant; id est: rebus et verbis (3,5,1); neque enim minus vitiosa est *oratio*, si ab homine quam si ab re, cui accommodari debuit dissidet (3,8,51); *oratio*, qua nihil praestantius homini dedit providentia (1,10,7); regina rerum *oratio* (1,12,18; cfr. haec eloquentia *regnat* (6,2,4); nihil *ornatum* est, quod est improprium (8,3,15); *ornatus* omnis non tam sua quam rei, cui adhibetur, condicione constat (11,1,7); sunt signa etiam *parva* magnorum (5,9,19); *pectus* est, quod disertos facit, et vis mentis (10,7,15); *perceptio*... semper vera est (2,17,18); quicquid loquemur ubicumque, sit pro sua portione *perfectum* (10,7,28); non *perfectum* est quicquam quo melius est aliud (12,1,10); nihil credimus esse *perfectum*, nisi ubi natura cura juvetur (11,3,11); ut quaeque forma *perfectissima*, ita capacissima est (1, 10,40); haec ipsa magis *pertinaciter* haerent, quae deteriora sunt (1,1,5); nec pingere quisquam aut fingere coepit a *pedibus* (3,9,9); est aliquando difficilium in labore uno *perseverare* (1, 12,4); nihil facile *persuadetur* invitis (4,3,10); *philosophorum*... servitus... ad certa se verba adstringendi (7,3,16); apud *philosophos* vitii loco est adfici (6,1,7); *pigri* est ingenii contentum esse iis, quae sint ab aliis inventa (10,2,4); omnia nostra, dum nascuntur, *placent* (10,3,7); nihil potest *placere*, quod non decet (1,11,11); (*poetae*) ... omnia ad

voluptatem referunt (8,6,17); *populus*... ex pluribus constat indoctis (3,8,2); necesse est semper sit *posterior* qui sequitur (10,2,10); raro reperitur hoc genus (= *praecepta universalia*), ut non labefactari parte aliqua et subrui possit (2,13,14); nihil *praecepta* atque artes valent nisi adjuvante natura (1 pr. 26); rector (= *praeceptor*)... est alienorum ingeniorum atque formator (10,2,20); optimus quisque *praeceptor* frequentia gaudet ac majore se theatro dignum putat (1,2,9); neque *praeceptor* bonus majore se turba, quam ut sustinere eam possit, oneraverit (1, 2,15); *praeceptoris* est... cotidie ostendere, quis ordo sit rerum et quae copulatio, ut paulatim fiat usus et ad similia transitus (7,10,8); non vox illa *praeceptoris* ut cena minus pluribus sufficit, sed ut sol universis idem lucis calorisque largitur (1,2,14); illud ingeniorum velut *praecox* genus non temere umquam pervenit ad frugem (1,3,3); ex praeteritis aestimari solent *praesentia* (5,10,28); *prava* ex falsis opinionibus veniunt (5,10,34); frangas citius quam corrigas, quae in *pravum* induruerunt (1,3,12); perveniri ad summa nisi ex *principiis* non potest (10, 1,4); quae *prior* beneficio ingenii singula invenerunt, nobis et non sunt requirenda et notata omnia (5,10,121); nec *probabili* probabilius adversum (est) (2,17,35); fallit plerumque quod *probitas* vocatur, quae est imbecillitas (6,4,11); nimium risus pretium est, si *probitatis* impendio constat (6,3,35); *probus* in primis erit ille vere ingeniosus, alioqui non pejus duxerim tardi esse ingenii quam mali (1,3,2); sua cuique *proposito* (= fini) lex, suus cuique decor est (10,2,22); plus vel sine doctrina *prudencia* quam sine prudentia facit doctrina (6,5,11); *prudencia* est, quod in quoque optimum est, si possit, suum facere (10,2,26); et *prudencia* esse haberique et optimus debet, qui sententiae suae de utilibus atque honestis credere omnes velit (3,8,13); validius bonos inhibet *pudor* quam metus (9,2,76); addit ad dicendum etiam *pudor* stimulos (10,7,16), qui *ratione* traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur (12,7,2); dementia *rationi* obstat (7,4,30); neque

enim qui *recta* via depulsus est, reduci ad eam nisi alio flexu potest (2, 17,29); *rectae* voluntati serum est tempus nullum (12,1,31); sola *rectum* quoque iudicem inclinat miseratio (4, 1,14); *recto* itinere lapsi plerumque devertunt (2,3,9); *res* ipsa verbis est firmior (8,4,26); nec interest discentium, quibus quidque nominibus appelletur, dum *res* ipsa manifesta sit (3,6,2); nec mutatur vocabulis vis *rerum* (9,1,7); *resiliendum* ab iis, quae non recipiuntur (12,10,56); *ridicula* esse oportet salsa (6,3,18); *ridiculum* dictum plerumque falsum est (6,3,6); urbis appellatione, etiam si nomen proprium non adiciebatur, *Romam* tamen accipi est receptum (6,3,103); *rustici* et imperiti... simplicius, quae ficta sunt, audiunt et capti voluptate facile iis, quibus delectantur, consentiunt (5,11,19); *sal...* adfert aliquid propriae voluptatis (6,3,19); *sales...* in dicendo habent quiddam, quod nobis faciat audiendi sitim (6,3,19); omnis *salse* dicendi ratio in eo est, ut aliter quam est rectum verumque, dicatur (6,3,89); neque enim *scientia* desiderat instrumentum, quae potest esse consummata, etiam si nihil faciat (2,21,24); nihil est pejus iis, qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi falsam sibi *scientiae* persuasionem induerunt (1,1,8); ad *se* refert quisque, quae audit (8,3,71); *secretum* in dictando perit (10,3,22); *segnitia* solvit animos (11,3,52); *sensus...* non docentur (6,5,2); subsistit omnis *sententia* (8,5,27); ex locis debet nasci *sententia* (2,4,31); *sententia* universalis est vox (1,9,3); libera vel contra receptas persuasiones rationem sequenti *sententia* est (2,8,6); *sententiae* vocantur, quas Graeci «gnomas» appellant... ex eo quod similes sunt consiliis aut decretis (8,5,3); (*sententiae*) feriunt animum et uno ictu frequenter impellunt et ipsa brevitate magis haerent et delectatione persuadent (12,10,48); nullus noster usquam negligens esto *sermo* (10,7,28); in verbis *sermonis* vis est (9,4,26); verborum proprietas ac differentia omnibus, qui *sermonem* curae habent, debet esse communis (1 pr. 16); multum *signa* faciunt (11,2,30); ubi est *signum* insolubile, ibi ne lis quidem est (5,9,

3); liberum arbitris locum et quam altissimum *silentium* scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit (10, 3,22); dissimilibus inest *simile* (5,11, 30); *similium* alia facies in alia ratione (est) (5,11,24); *simpliciora* militares decent (11,1,33); *sol* universis idem lucis calorisque largitur (1,2,14); in *soie* sidera ipsa desinunt cerni (8,5,29); in rebus apertis argumentari tam sit stultum quam in clarissimum *solem* mortale lumen inferre (5,12,8); *sonis* homines... dinoscimus (11,3,31); nullo magis studia quam *spe* gaudent (2,4, 13); numquam vera *species* (=pulchritudo) ab utilitate dividitur (8,3,11); *sterilia* nullo labore vincuntur (2,4,6); *stilus* secreto gaudet atque omnes arbitros reformidat (10,7,16); *studendum...* semper et ubique (10,7,26); ad profectum opus est *studio*, non indignatione (10,3,15); nemo reperitur, qui sit *studio* nihil consecutus (1,1,3); est aliquis ac nescio an maximus etiam ex secretis *studiis* fructus ac tum pura voluptas litterarum cum ab actu, id est: opera recesserunt et contemplatione sui fruuntur (2,18,4); supervacuum foret in *studiis* longior labor, si nihil liceret melius invenire praeteritis (3,6, 65); est in *studiis* praecipuum quoque solo verus ille profectus et altis radicibus nixus paretur: scribere ipsum (1,1,28); neque enim est sanctius sacris iisdem quam *studiis* initiari (1, 2,20); nihil in *studiis* parvum est (10, 3,31); qui stultis videri eruditi volunt, *stulti* eruditus iudicantur (10,7,21); *supervacua* cum taedio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahuntur (4,2, 44); tela *supervacua* sunt nescienti, quid petat (5,10,109); non tam obest audire *supervacua* quam ignorare necessaria (12,8,7); partitio *taedium* levat (4,2,49); *télos* dicitur, ad quod omnis ars tendit (2,15,38); vel extemporalem *temeritatem* malo quam male cohaerentem cogitationem (10,6,6); quod natura rei satis aptum est, nisi modo quoque *temperatur*, gratiam perdit (11,1,91); ne *temptes*, quod effici non possit (2,8,14); refutare *temporis* muneris longe stultissimum est (10,6,6); etiam veros dolores mitigat *tempus* (6,1,28); natura *tenacissimi* sumus eorum, quae rudibus animis percepimus

(1,1,5); *totum* ex partibus constat (3, 3,14); non erit *totum*, cui vel parva deerunt (1,10,8); si vel maxima flumina in rivus diducantur, qualibet *transitum* praebent (5,13,13); saepe plurimum lucis adfert ipsa *translatio* (5, 14,34); quaedam tam fortiter *tuenda* quam facta sunt (6,1,34); *turpe*... illud est: contentum esse id consequi, quod imiteris (10,2,7); *turpitudine* generis opprobrio multis fuit (3,7,19); *urbanitas* opportuna reficit animos (4,1,49); ex historia ducere *urbanitatem* eruditum est (6,3,98); aliquid velut *usu* ipso deturatur (2,4,7); plusque... *usus* sine doctrina quam cifra usum doctrina valet (12,6,4); in omni studiorum genere... bona *valetudo*... et frugalitas necessaria est (10,3,26); gaudet res *varietate* (9,2,63); reficit animos ac reparat *varietas* ipsa (1,12,4); *vascula* oris angusti superfusam umoris copiam respuunt, sensim autem influentibus vel etiam instillatis complentur (1,2,28); (aliquis) potest melius aliquid *velle*, quam dicit (9,2,89); nemo contra id, quod *vult* dicit (9,2,89); *verba* ipsa rerum gratia sunt reperta (8 pr. 32); cum *verba* rebus aptentur, ipso materiae nitore clarescunt (3,8,61); nulla *verborum* nisi rei cohaerentium virtus (8 pr. 26); *verecundia* est timor quidam reducens animum ab iis, quae facienda sunt (12,5,3); rarum est..., ut satis se quisque *vereatur* (10,7,24), ubicumque ars ostendatur, *veritas* abesse videtur (9,3,102); tot malis obnoxia *veritas* (est) (2,17,29); aliquando vis ac facultas dicendi expugnat ipsam *veritatem* (12,1,33); numquam *vera* species ab utilitate dividitur (8, 3,11); tum optime dicit orator, cum videtur *vera* dicere (4,2,38); neque quisquam *vero* contentus est (8,6,75); dum omnia quaerimus, aliquando ad *verum*, ubi minime exspectavimus, pervenimus (12,8,11); currentium pes, etiam si non moratur, tamen *vestigium* facit (9,4,67); *vetera* majestas quaedam et... religio commendat (1,6,1); multum auctoritatis adfert *vetustas* (3,7, 26); brevior et vel ideo lucidior multo *via* neque discentem per ambages fatigabit nec corpus orationis in parva momenta diducendo consumet (3,11,

23); *via* demonstrari potest, velocitas sua cuique est (7,10,15); tutissima fere per medium *via*, quia utriusque ultimum vitium est (12,10,80); *via* opus est incipientibus, sed ea plana et cum ad ingrediendum tum ad demonstrandum expedita (8 pr. 3); plurimae eodem *viae* ducunt (10,5,7); resurgit verae *virtutis* fortior fama (12,9,4); ad posteros *virtus* durabit, non perveniet invidia (3,1,21); *virtus* qua nihil homini, quo ad deos immortales propius accederet, datum est (12,2,2); quod iustitia est, utique *virtus* est (5,10,57); est quaedam *virtutibus* ac vitiis vicinitas (3,7,25); admirabilior in femina quam in viro *virtus* (5,11,10); sine *virtute* intellegi non potest fortitudo (12,1,23), *virtutes* etiam ipsae (orationis) taedium pariunt nisi gratia varietatis adjunctae (9,4,43); nec mutatur vocabulis *vis* rerum (9,1,7); *vitae* praecepta... natura sunt honesta (2,16,10); grammatices amor et usus lectionis non scholarum temporibus, sed *vitae* spatio terminantur (1,8,12); omnis *vitae* ratio sic constat, ut quae probamus in aliis, facere ipsi velimus (10,2,2); aliena *vitia* quisque reprehendi mavult quam sua (2,5,16); excusantur *vitia*... vicinitate virtutum (1,5,5); est quaedam virtutibus ac vitiis vicinitas (3,7,25); *vitium* est ubique, quod nimium est (8, 3,42); *vitium* est omnis animi perturbatio (5 pr. 1); imperitis placere aliquando, quae *vitiosa* sint, scio (12,10, 51); verbum omne, quod neque intellectum adjuvat neque ornatum, *vitiosum* dici potest (8,3,55); in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua *vitiosa* (10,2,15); vivimus et aliqua vivendi ratio quaerenda est (6 pr. 14); *voluntas* cogi non potest (1,3,8); fallit *voluptas* (4,2,46); varum est illud, quod *vulgo* dicitur, mendacem memorem esse oportere (4,2,91); nec omnino sine ratione est, quod *vulgo* dicitur: iniquum petendum, ut aequum feras (4, 5,16); ea quae *vulgo* recepta sunt, hoc ipso quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt... neque enim durassent haec in aeternum, nisi vera omnibus viderentur (5,11,41).

## IN RERUM NATURA MIRACULA \*

Intento Medium lustranti lumine Mundum  
Andes qua celso propulsant vertice sidus  
Atque salis radunt sinuoso limine ripas;  
Prodigiis consaepta suis latissima tellus  
Porrigitur, praeclarum cui est BRASILIA nomen:  
Sole sub ardenti conantem fortia gentem  
Haud mensis subigit spatiis ac munere pascit  
Uberrimo, natis passim sine semine pomis,  
Provida quod fundit generosis terra colonis;  
Quaque patet porro vernantibus undique silvis  
Cingitur et perflat profuso campus odore  
Omnis cum fragrat tepido spiramine ventus  
Perpetuoque novis pennatum frondibus agmen  
Occulit et miris demulcet cantibus aures.

Infra serpit humi contortis lapsibus anguis  
Lubricus irarum jaculo mortisque veneno  
Obsitus improbidoque inhians sibi gutture pastus  
Attactos obiter longaue recludit in alvo;  
Quin etiam tardo prospectans tempore praedam  
Ante fores cellae, trunco protecta vel herbis,  
Parvula tunc minimum depromit aranea corpus  
Viro feta necemque ferens balantibus atram  
Atque lacertosis morsu quandoque bubulcis.

Prorepat pariter ferratus terga lacertus,  
Notas mille vias per dumos circumit audax  
Hostis declinans vultus et edulia cortis  
Sollicitat manditque avide sua furta potitus;  
Post ubi deprensus letumque evadere doctus,  
Ter centum jactis quae terra confovet ovis,  
Nodosam praepes moto cit in aere caudam,  
Ad tutos vafre properat remeare penates.

---

\* Sunt cataractae insuper 250 seu lapsus aquarum ingenti latitudine atque altitudine, medio loco sitae intra fines brasiliensium argentinorumque, quarum notissima ea est «Río Iguazú» quam dicunt vulgari sermone. Quamplurimi, ne socordes quidem, hiemis praesertim tempore, quo abundantius fluunt imbribus aequinoctialibus, visendi causa adeunt viatores; earumdemque origo et initium, quae ore hominum traditur, fabella enarratur.

Plurima turba loquax et multis dedita mimis  
 Densati nemoris celatus simius umbris  
 Quem credas hominis forsans simulare figuram,  
 Pendulus en cauda cunctos percurre truncos  
 Gaudet et assiduis montes garribus opplet.

Conspicimus nullis conclusos finibus agros  
 Graminis undantes opibus, quod dente juvenci  
 Delibant cupido meritorumque agmen equorum;  
 Aequare sic dominis armentum pascit amoeno  
 Carpere jam solitum frondosi semina prati  
 Lanigerumque greges campis tabulantur opimis;  
 Arba patent segetum, quas pectit flatibus aura,  
 Trudere quae valeant confertis horrea granis.

Humano veluti complexae corpore venae  
 Sanguinis humectant vivacis membra fluentis,  
 Pinguibus in cultis numerosus labitur amnis.  
 Finis egens largo roratur flumine<sup>1</sup> tellus  
 Cernere quod plenis poteris turgescere nimbis  
 Ad maris usque sinus vastos deducere fluctus,  
 Fruge vadum multa pandas sulcare carinas.

Hoc quondam litus dono servabat avorum,  
 Indicus has terras populus dicione colebat.  
 Hic riguo, ut perhibent, pascentes margine tauros  
 CAINGANGUES, patria dixerunt voce priores,  
 Dux gentis sacro tutatur foedere IGOBUS.  
 NAIPA fuit, natas inter praestantior omnes,  
 Filia supremo nimium dilecta parenti:  
 Fronte super nivea, vultus nitet illa decore  
 Sidereos gestans oculos; tunc gemma capillis  
 Nexa micat flavis teretique monilia collo  
 Fulgebant. Cunctosque capit pulcherrima et omnes  
 Corporis egregiam mirantur virgine formam.

Exardens animi princeps Martisque paratus  
 Castra sequi victor plenus juvenalibus annis,  
 Regni sede fuit florens virtute TOREBUS:  
 Hanc ubi praeteriens vidit totusque tuendo  
 Haesit formosaeque perivit amore puellae.  
 Tempora procedunt; totam lymphatus in urbem  
 Noctes atque dies insanus duxit et altis  
 Usque jugis juvenis moerentis verba resultant.

---

1. Vernacule: Río Paraná.

Ecce diu cari stat patris fixa voluntas  
MABOJO primam natae sacrare juventam,  
Aras quae servet, sanctos quae suscitet ignes  
Et devota sacris majorum more receptis  
Candida legitimum vestalis munus obiret  
Ipsa deo; ventroso quem similem improba finxit  
Ingluvies turdo, grandaevi sanguine cretum  
TUPAE, serpentis parilem spectamine caudae.

Ille opifex mundi, cunctarum lege ferebat  
Aequis sancita fatis moderamina rerum.  
Sacra ferebantur veteri jam denique ritu  
Festivaeque sonant populi per compita laeti  
Laudes et valido fervescunt pocula musto:  
At propiore calent, Indis saltantibus, aestu  
Pectora promissis juvenum constricta duorum.

Jam ergo laetitia reliqui vinoque madentes  
Plausibus ingeminant hilares iterantque choreas  
Et meritas patri certant persolvere grates  
Laetis quod famulis onerarat fercula mensae;  
Omnibus invisus, tectis arisque relictis,  
Inclusus tenebris per amica silentia noctis  
Depositaque mora ambitumque capessere cursum,  
Litore semotam confestim solvere cumbam,  
Raptim quam fragilem fluvio vehat unda secundo  
Taedarum impatiens socius festinat uterque.

Vix ubi Mabojus dio persentit numine cursum  
Amborum molitum et vestali munera nupta  
Diri ejecta dei, Indorum qui rure ministrat,  
Saevis elatus furiis, tellure sub ima  
Se abdidit atque ferox multum sua membra retorquet;  
Intremittit illa diu (pueri formidine pallent)  
Motu sic subito; rimis rescissa profundis  
Inmanes aperit caveas et saxa refringit  
Queis male surgentes cautes sub fluminis alvo  
Asperrimamque viam nautis fugientibus offert;  
Ingentique simul fluvius se findit hiatu  
Seque redundanti in praeceps vertigine jactat.

Haec inter, tanto in fossam ruit impete flumen,  
Tot sursum nebulis lapsus consurgit aquarum  
Aurato superi percussis fulgure solis  
Ut passim centum pluvios mireris et arcus.

Divinant pueri minitans horrore barathrum,  
 Turbine sed flexo miserorum puppis adacta,  
 Audet quo socors vix insultare viator,  
 Illiditur, pessumque dedit tumulata sub undis.  
 Tanto purus amor sortitur funere finem  
 Conditaque est vitreis insontis vita sepulcris!  
 Sic furor infestus precibus placabilis ullis  
 Et mollire feri coeperunt vindicis ira.

Hospitis horrisonam circum visentis abyssum  
 Corripiunt pavidam casus spectacula mentem:  
 Vorticibus tortis semper conspersa profundo  
 Gurgite pressa latet, rupis durata figura,  
 Naipa sui thalamis indelibata mariti.  
 Interea caveas servans et conjugis aedes,  
 Nubila disjiciens flammatus corde Torebus  
 Aeternum perstat nutatque cacumine Palma.

Concha legit lymphae montem per inane cadentis  
 Ingens et fervet stagnantis imagine fontis;  
 Post, iter inflectens celeri fugit agmine rivus  
 Largior et laeto depingit gramine ripas  
 Assuetasque operi quoque praeterlabitur urbes  
 Donec in ignoto refluat per saecula ponto!

RAYMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.

Commentariorum, qui «CRISTINA» inscribuntur, Moderator  
 Constitución 1071

BONIS AURIS (Buenos Aires) in Argentina



# SS. VIRGINI ROSARII POMPEJANAE SUPPLICATIO \*

## I

Augusta Regina Victo-  
riarum, Virgo Paradisi domina, cujus po-  
tenti nomine laetantur caeli, terrore tremunt abyssi, gloriosa Regina  
Sacratissimi Rosarii, nos omnes fortunati filii tui, quos bonitas tua  
hoc saeculo elegit ad tibi Pompejis erigendum templum, hic ad pe-

---

\* Apud Italos, etiam apud exteras gentes, jam centum fere annos, magna  
erga SS. Virginem Rosarii Pompejanam est pietas. Hanc Supplicationem com-  
posuit Bartholus Longo, praeclarus causarum actor idemque vir humanissi-  
mus. Qui (Latiani, in Brundusino, anno 1841 natus; Pompejis anno 1925 mor-  
tuus), cum juvenis positivismum secutus esset, post magnam animi pertur-  
bationem non solum ad Christi religionem rediit, sed totum ad alios adju-  
vandos atque ad Sanctissimi Rosarii devotionem propagandam se dedit. Nam  
Fornari abbatis, Prisci archiepiscopi Neapolitani, Joannis Bosco amicus, et  
maxime homines in carcere inclusos curavit eorumque dilexit filios, quippe  
qui non originem neque vultum, sed animum hominis vel pueri animadver-  
terat; et anno 1876 in loco vasto et pestilenti, qui hodie frequentissima urbs  
Pompeji est, aedificare coepit nunc celeberrimum templum Mariae Virgini  
Sanctissimi Rosarii dicatum, prope quod hodie orphanotrophia et scholae  
et officina typographica et museum et bibliotheca et alia benefica instituta  
vigent florentque.

Bartholus Longo fuit ipse egregius et fecundus scriptor, ex cujus operi-  
bus mentione sunt digna quae inscribuntur: *Storia del Santuario* (1890); *Per  
l'educazione morale e civile dei figli carcerati* (1895); *La guida del carcerato  
alla sua morale riabilitazione* (1905); *L'ultimo voto del mio cuore* (1925); ne  
alia silentio praeteream: *Vie meravigliose della Provvidenza*; *S. Domenico  
e l'Inquisizione*; *La Vergine romana S. Cecilia*.

des tuos prostrati, hoc sollemni die, quo tuos novos in terra idolorum daemonumque celebras triumphos, lacrimis nos effundimus animos nostros eadem qua filii fiducia tibi nostras patefacientes miserias.

Ex hoc throno clementiae, ubi Regina sedes, te precamur, verte, Maria, oculos tuos misericordes in nos, in omnes familias nostras, in Italiam, in Europam, in universam Ecclesiam: miserere curis in quibus versamur, miserere aerumnis, quae vitam nostram contristant. Vide, Mater, quot quantaque pericula et in animo et in corpore cingant nos, quot quantaque calamitates atque afflictiones cogant nos! Mater, retine justitiam irati Filii tui, vince clementia cor peccatorum: sunt enim fratres nostri, sunt filii tui, qui sanguine steterunt dulci Jesu et cultri vulneribus tuo mollissimo Cordi. Hodie, Mater, ostende te omnibus, qualis es, Reginam pacis ac remissionis.

## II

Verum, verum est nos primos, nos filios tuos, peccatis iterum in animo nostro crucifigere Jesum atque iterum transfigere Cor tuum: digni sumus, fatemur, asperrimis flagellis. Sed Tu recordare te in Golgotha monte ultimas illius divini Sanguinis stillas ultimumque moribundi Redemptoris collegisse testamentum. Quod Dei testamentum, Sanguine Hominis ejusdemque Dei sancitum, declarabat te *Matrem nostram, Matrem peccatorum*: Tu, igitur, *Mater* nostra, Tu es *Advocata* nostra, Tu *Spes* nostra. Et nos gementes ad Te supplices tendimus manus, clamantes: miserere!

Miserere, Mater bona, miserere nobis, animis nostris, familiis nostris, propinquis nostris, amicis nostris, defunctis fratribus nostris, sed maxime inimicis nostris miserere atque illis omnibus, qui Christianos se dicunt, cum amabile Cor Filii tui lacerent. Misericordiam, ah! misericordiam imploramus hodie, errantibus gentibus, universae Europae, universo orbi terrarum, qui ad Cor tuum confessus redeat. Miserere omnibus, Mater misericordiae!

## III

Quanti stat tibi, Maria, exaudire nos? Quanti stat tibi salvare nos? Nonne Jesus in manibus tuis omnes posuit thesauros gratiarum suarum suaeque misericordiae? Coronata Regina Tu sedes a dextra Filii tui, immortalis gloria redimita praeter omnes Angelorum choros. Tu dominium tuum extendis quantum extenduntur caeli, et Tibi terra atque creaturae omnes, quae in ea habitant, sunt subjectae. Dominium tuum usque ad Infernum extenditur: Tu sola, igitur, e Sataanae manibus nos eripis, Maria. Tu es, Dei gratia, omnipotens: Tu sola, igitur, nos salvare potes. Quod si negas te nos adjuvare velle, cum filii ingrati et indigni auxilio tuo simus, dic tamen nobis ad quem confugiamus, ut a tot flagellis liberemur. Heu numquam Cor tuum Matris patietur se videre nos, filios tuos, perditos! Puer, quem in tuis genibus, mystica Corona, quam in tua manu miramur, spem dant nobis Te nos esse exaudituram. Atque nos, omnino Tibi confisi, ad tuos pedes nos prosternimus, tamquam debiles filios in brachia tenerrimae matris nos proicimus, et hodie, hodie ipsum, a Te exoptatas exspectamus gratias.

## IV

Ultimam gratiam nos nunc a Te, Regina, imploramus, quam nobis hoc sollemni die negare non potes. Concede nobis omnibus amorem tuum continuum et in primis maternam benedictionem. Minime, minime nos e tuis genibus eripiemus, donec nos benedixeris. Benedic, Maria, hoc momento Summum Pontificem. Priscis lauris tuae Coronae, antiquis triumphis tui Rosarii, quibus Regina Victo-riarum vocaris, etiam hunc, precamur, adijunge, Mater: triumphum concede Religioni humanaeque societati pacem. Benedic Episcopum nostrum, Sacerdotes et praecipue omnes qui ferventer tui Templi honorem curant. Benedic denique omnes socios tuae novae Aedis Pompejanae et quotquot colunt foventque pietatem in tuum Sacratissimum Rosarium.

Rosarium benedictum Mariae, dulcis Catena quae nos cum Deo constringis, Vinculum amoris quod nos cum Angelis jungis, Turris salutis in impetu Inferni, Portus securus in omnium naufragio, Te nos numquam relinquemus: Tu nobis eris solacio in hora mortis, Tibi ultimum osculum vitae quae exstinguitur.

Atque ultimum verbum e nostris pallidis labris tuum suave nomen erit, Regina Rosarii Vallis Pompejorum, Mater nostra carissima, unicum Refugium peccatorum, summa Consolatrix afflictorum. Ubique benedicaris, Maria, hodie et semper, in terra et in Caelo. Amen.

Latine convertit

RICHARDUS AVALLONE

SALERNI in Italia

# COMMERCIIUM EPISTULARUM INTER SOCIOS

Richardus Avallone Josepho Mariae Mir s.

Mitto tibi, clarissime et carissime Pater, meam interpretationem latinam illius Bertholi Longo Supplicationis SS. Virgini Rosarii Pompejanae. Quae interpretatio non ut lusus ingenii nata est, sed ut animi necessitas, ut debita gratia. Mihi usque a puero magna fuit devotio tum Christo tum Virgini Mariae, quae devotio —praecipue in Virginem Pompejanam— in me aucta est magis etiam quod semel ex periculo mortis evasi in eruptione Vesuvii anni MCMXLIV (nam mense martio illius anni paulum afuit quin Neapoli rediens morte Pliniana perirem) et iterum effugi, una cum uxore et duabus filiis meis, in gravi concursu vehiculorum apud Pompejos mense septembris anni MCMLXVI.

Meam igitur meorumque incolumitatem semper tribui, recte et jure, Pompejanae Virgini, quam ob rem semper mihi in animo et in votis fuit Bartholi Longo Supplicationem in latinum convertere.

Haec vota nunc tandem, subsicivis temporibus, ad effectum adduxi et spero me quodammodo propositum assecutum esse.

Utrum bene fecerim necne tu dices: ego audeo tantum te exorare ut interpretationem meam in vestra nobilissima *Palaestra Latina*, tam docta et religiosa, edere velis.

Magnam spem in tua mihi notissima benignitate ponens gratias tibi ago plurimas pro tuo exoptato assensu. — Cura ut valeas.

Omni animi motu

RICHARDUS AVALLONE  
amicissimus tuus.

Kal. sept. a. MCMLXXI, Salerno.

Josephus M.<sup>a</sup> Mir C. M. F. Richardo Avallone sal. pl.

Cum ex Hispania redii, in aliis quae in mensa scriptoria recondebantur epistulis, tuam inveni ineunte m. septembri datam. Nescio qua ratione ad me remissa non sit, cum alias in Hispania acceperim epistulas ab urbe Roma ad me delatas.

Deinde, pauci interjecti sunt dies quibus Mandēlae circulum de Horatio habuimus: cui cum adesse in animo constituissem et cottidie Romam redissem, tempus minime suppetebat ut ad te rescriberem.

Nunc autem magnopere te laudo et de tua christiana et filiali pietate erga Virginem Mariam et quod Supplicationem Pompejanam latine reddere voluisti. Quam iterum iterumque legi, mihi que admodum placuit eamque prorsus probo.

Attamen, ut mihi visum est —sine ut sententiam libere expromam— exteri cives qui hanc in Italia pernotam Supplicationem legent, fortasse hujus devotionis rationem non omnes plene intelligent. Quam ut commodius mente comprehendant; qua re non addis adnotatiunculam, paucis tamen verbis, de tempore quo Pompejis templum Beatae Virgini exstructum ac dicatum est, de Supplicatione ipsa et de communi omnium pietate apud Italos erga Virginem Mariam a Rosario Pompejis veneratam? Quod si ad manus mihi esset libellus qui haec explicaret, ego ipse rem perficerem. De re tamen tu videris...

Deinde, sententiam tuam, qua Patrum latinatam et Ecclesiae vehementer alias defendisti, hoc scripto tuo comprobata perspicio (ut in verbis et locutionibus: «afflictio, devotio, infernum, miserere nobis, in hora mortis, nos benedixeris», alia).

Paucissima tandem —ignoscas velim— tibi recognoscenda proponere audeo:

I, b: «afflictiones cogant nos» (= *opprimant* nos?);

III: «Heu numquam Cor tuum Matris patietur se videre nos...» —Nonne deleri posset pronomen illud *se*?

«Hodie ipsum»: adverbium in substantivum mutasti, auctoritate fortasse Martialis (5,58,12) innixus, qui scribit: «Cras istud, Postume, quando venit?»

IV: «Vinculum amoris quod nos cum Angelis conjungit» (textus italice scriptus habet: *conjungis*).

Novi quantis districtus sis occupationibus, sed si quid temporis nactus eris, quid senseris de iis quae supra dixi a te exspectabo.

Patrem Molinam, *Palaestrae Latinae* Moderatorem, rogabo ut si id fieri possit, tuae Supplicationi edendae in proximo fasciculo *Palaestrae* locum servet.

Probasne ut superior epistula tua latine scripta etiam typis edatur?

Iterum de tua in me benevolentia, de photographia benigne missa, deque tuis verbis maximam habeo gratiam.

Cum tuis vive libenter et vale.

Roma, die 17 m. octobris a. 1971.

Richardus Avallone Josepho Mariae Mir s. p. d.

Excusa, doctissime Pater, suavissime amice, tarditatem mearum litterarum: culpa est non calami, qui semper currit, non animi, qui totus tuus est, sed munerum laborumque in mea studiorum Universitate.

Gratias tibi ago plurimas pro tuis humanissimis verbis; libenti et grato animo probo ut superior epistula mea latine scripta etiam typis edatur.

Libentissime tibi mitto adnotatiunculam de templo Pompejano ejusque conditore, quam corrigere et contrahere potes.

Quod ad tuas observationes attinet respondeo:

I, b: «afflictiones *cogant* nos» = «*opprimant* nos»; sed fortius est «*cogant* nos».

III: «Heu numquam Cor tuum Matris patietur *se* videre nos». Ciceronem sequor (nam apud Ciceronem est «pati» cum accusativo et infinitivo); sed tu, elegantius, dele *se*, eodem quo historici modo.

«Hodie ipsum»: Ciceronem sequor, qui habet: «nunc ipsum» (*ipsum* = adverbium).

IV: «Vinculum amoris quod nos cum Angelis conjungit». *Conjungit* recte reddit italicum «unisce» («Vincolo di amore che unisce agli Angeli»).

Gratias, gratias. — Cum meis te valere jubeo.

[accepta die 11 m. januarii a. 1972].

RICHARDUS AVALLONE  
amicissimus tuus.

Josephus Maria Richardo suo sal. pl.

Tibi, amplissime vir mihique carissime, quam maximas ago gratias quod admodum cumulate omnia perfecisti. — Noveram te multis scholarum curis aliisque negotiis implicari ac gravari: quae omnia assiduo labore et bonae animi pace superasti.

Tua ad Moderatorem *Palaestrae Latinae* mittam.

Scribas licet de libro meo —*Nova verba latina* dico— in commentariis Lusitanis *Euphrosyne*.

Vale in Domino plurimum.

Roma, die 16 m. jan. a. 1972.

JOS. M. MIR, C. M. F.



ZENONIS  
FRANCISCALIS CAPULATI  
SEPULCRUM \*

Mane tuum rutila collustrat luce sepulcrum  
exoriens, Zeno, sol refovetque tepens.  
Quae roseo nuper tenuique colore rubebant,  
candidulo nubes paene nitore micant.  
Paulatim somno velut expergiscitur alto  
atque sacer campus fervet amore pio.  
Qui gelidis tumuli nigrabant nocte tenebris,  
lustrati solis lumine, rore nitent.  
Nomineque insculptus lapis est qui in pace sepulti,  
herbosa quae crux brachia pandit humo,  
nocturno omnino deterosa humore renident,  
clarior in tumultis emicat atque nota.  
Quae somno jam victa caput condebat sub alas  
ramis insistens, garrula cantat avis,  
cursibus et variis, querulis stridoribus aer  
undique luce scatet fulgidus aetheria.  
Plumea cum puerum parvi sub tegmine tecti  
culcita te, Zeno, blanda sopore levat,  
ac mens in somnis per florida rura vagatur  
dum te sopitum somnia laeta tenent,  
primo mane avium cantu expergisceris, atque  
extemplo supplex ad sacra templa venis.  
Te postquam juvenem Francisci excepit amati  
coenobium, ac cingis flexile fune latus,  
excitat haud aliter te prima luce diei  
quae ramos inter dulcis alaunda canit.  
At jam sol properat caeli contingere metam,  
nubibus emotis fulgidiorque nitet.  
Stridula clathrorum crepuere repagula, verso  
ferratae resonant cardine jamque fores.  
Haud mora: multa dolens secum celer advenit hospes  
respersus lacrimis ora genasque vagis,

---

\* Cfr. infra propositum hujus carminis quod ab auctore ipso per epistulam explicatur.

atque tuum recta, Zeno, petit ille sepulcrum:  
brachia sic natus quaerit amata patris.  
Hic quondam in sacro placidum te saepe cubiculo  
expertus patrem est crimina corde gemens.  
Cui tu turbato pacisque bonique minister  
dein concedebas usque quiete frui.  
Sed cum te demum Deus ad suprema vocavit  
gaudia, recludens limina sancta poli,  
perditus ille sibi visus, fulciminis expers,  
huc desiderio saepe tui properat.  
Ora rigans lacrimis, imo suspiria mitem  
te pius alloquitur dulcia corde trahens.  
Cui tu sollicitus large solacia praebes,  
hinc ut mente sua laetior ille abeat.  
Sed magis adveniens coetus jam crescit in horas  
atque velut vivum te pia turba premit.  
Et tibi mordacem gestit committere curam  
quisque suam, atque tuam nunc prece poscit opem.  
Te pater auxilium rogat ut commotus amato  
filiolo, in vitium ne ruat, ipse feras.  
Quem tacitus quondam secreto pane juvabas,  
a te nunc etiam sperat et ille cibum.  
Qui mala membra trahit morbo vexata, valere  
posse iterum fidit, te rogitante Deum.  
At quo jucundo completur paene susurro  
ser, tamquam avium huc adveniente grege?  
Te, Zeno, pueri quaerunt sacrumque sepulcrum  
atque ferunt manibus floresserta tibi.  
Quos appellabas dilectos jure nepotes,  
corde quibus fueras tu quoque carus avus,  
marmoreum intento circumdant ore sepulcrum,  
compressis sensim vocibus atque silent,  
effigiemque tuam modo contemplantur amatam,  
atque inter sese post modo verba serunt.  
Ac sibi quisque aegre te immotum suadet inertem  
in loculi subita morte jacere sinu.  
Te memori mitem patrem nunc mente revisunt  
filiolis sapiens qui pia verba dabas.  
Suaviter adridens, praebens os semper et idem,  
caeli monstrabas omnibus usque viam.  
Cum grege verus avus ludebas saepe nepotum  
seria tunc solitus jungere dicta jocis.  
Si qua illis trepidis haud inscia pectora tristis  
cura premit, sollers nubila caeca fugas,  
consiliisque tuis frontes animosque serenas,  
ac spectare pios semper ad astra jubes.

Quin poterant pueri plene tecum esse beati,  
ardebant qui omnes mutuo amore tui?  
Cur igitur vita extemplo necopinus abisti,  
nec puerorum usquam tunc tibi cura fuit?  
Haec sibi deflentes commota mente volutant,  
somnia et haec fingunt pectore cara suo.  
Vix te lassatum poterant jam ferre labore  
membra, neque audebant protinus ire pedes,  
cum Franciscus aditque Deum supplexque precatur  
regna ut te liceat ducere ad alta sibi.  
Cui manibus sursum passis et rite roganti  
confestim atque libens adnuit ipse Deus.  
Tunc caeli velut albentis per templa videres  
agmina delabi fulgida caelicolum.  
Ante omnes Franciscus iter dux indicat, atque  
omnibus intendit mox aperire viam.  
At patris impressos gressus Antonius urget,  
concordi studio denique teque petunt.  
Sicut alauda canens flaventibus exsilit agris  
atque alti scandit caerula laeta poli,  
caelicolae haud aliter laete acceperere canentem  
ad summum properi teque tulere Deum.  
Sic pueri censent vita cessisse beatum,  
teque putant semper, Zeno, favere sibi.  
Sed petit usque tuum deinceps pia turba sepulcrum,  
dum rosea nubes vespere luce rubent.  
E turri sacrum ses tunc lentis ictibus alta  
tam propere longum deflet abisse diem,  
hortaturque omnes repetant sua tecta libenter,  
atque refecta cibo membra quiete juvent,  
Ac jam ferratae vertuntur cardine postes,  
impositae claudunt denique clathra serae.  
Cuncti abeunt velut inviti, sed pectore certi  
quam primum ad tumulum, Zeno, redire tuum.  
Namque in te mors est minime dominata, sepulcro  
sed nos alloqueris vocibus usque piis.

*Theodorus Ciresola Mariano Molinae Palaestrae Latinae Moderatori, s. p. d.*

Carmen, quod tibi mitto edendum, si tibi videtur, Franciscalem capulatum celebrat, cui nomen fuit Zeno. Qui, Veronae natus anno MDCCCXCV, maximam vitae partem egit Patavii, ubi successit Leopoldo sodali, Franciscali pariter capulato, qui in poenitentiae sacramento administrando in coenobio Patavino, quod a Sancta Cruce nominatur, tantam sibi pietatis famam comparavit, ut ab omnibus sanctus habitus sit. Itaque brevi, ut est in votis omnium qui eum noverunt, atque ejus gratia criminum confessione animorum sordibus se exuerunt, in beatorum numerum adsciscetur.

Cujus exemplum secutus Zeno omnium sibi bonorum laudes conciliavit, ad sacrum poenitentiae tribunal adeuntes benigne excipiendo.

In commentariolo autem, qui «La Madonna del Monte» inscribitur, singulis mensibus epistulam ad pueros edebat, quos per jocum nepotes nuncupabat, cum sibi nomen avi indidisset.

Supremum diem obiit anno MCMLXIV, atque eadem sanctitatis laude iisdem dignus honoribus, quibus ejus decessor Leopoldus, habitus est.

Hanc notitiam, si tibi videtur, carmini adice, ut legentibus manifestum sit quis fuerit Zeno, Franciscalis capulatus, de quo in carmine agitur.

Gratias quam maximas tibi et ago et habeo, Menor tui semper sum. Esto tu quoque mei. Etiam atque etiam vale.

Dabam Mediolani a. d. Kal. Julias a. MCMLXIX.

Prof. THEODORUS CIRESOLA  
Viale Brianza, n. 22  
20127 — MILANO (Mediolani in Italia)

## QUAENAM CORNELI NEPOTIS VITAE ADULESCENTIBUS ILLUSTRANDAE SINT

«*Vitae excellentium ducum*», a Cornelio Nepote scriptae temporibus dissimillimis aevi Augusti, in quo omnes rerum scriptores laudes summarum rerum romanarum copiosissime persequerentur, breviores sunt. Studiosis ac discipulis singularissimae et notissimae sunt Hannibalis, Catonis atque Attici vitae (haec est omnium amplissima): prima digna est, quae adolescentibus illustretur propter quandam admirationem atque animi magnitudinem, quam Cornelius Nepos viro huic Romanis infestissimo tribuit; secunda propter illius senis vitae sanctitatem, morum gravitatem ac litterarum magnum amorem; tertia quadam expositionis perspicuitate ac studio, quod ad temporum ordinem pertinet.

In «*Excellentium ducum vitae*» componendis, rerum scriptor sibi proposuit, ut Romanas res scriberet, quae, ex sua sententia, maximae magnorum atque illustrium virorum essent: nam in hoc libro sua quisque dux virtute atque ortu (Romani atque externi) ita colligitur, «quo facilius collatis utrorumque factis, qui viri praefereendi sint, possit judicari»<sup>1</sup>.

Plutarchus in suis «*Vitis parallelis*» hunc scriptorem secutus est, cujus autem «*Vitae*» vivida perfectione ac summa simplicitate carent, quam contra in Chaeronensis «*Vitis*» admiramur, in quibus unusquisque dux et in publico et in privato nobis ostenditur. Cornelii Nepotis aridae, circumscriptae ac parum subtiles sunt «*Vitae*»; tamen quadam urbanitate nitent atque ita facilis et expeditus est scriptor ad dicendum, ut de eo Aulus Gellius hoc bonum iudicium proferret: «Rerum memoriae non indiligens»<sup>2</sup> Cornelius noster.

His praemissis, Hannibalis Catonisque Censoris adolescentibus vitae illustrandae sunt, praecipuis his causis. Hannibal, quem «duru[m], diru[m], perfidu[m], abominatu[m]» Horatius appellat<sup>3</sup>, vehementissime nobis a Cornelio Nepote illustratur, qui virum hunc, summa virtute ac superba quadam animi magnitudine praeditu[m], ante oculos nostros ponit. Carthaginiensis enim vir fortissimus, immo vero omnium callidissimus est, qui, cum armis careat, dolo atque consilio strenue pugnat et semper hostes superat. Mirum hujus ducis ingenium aperte perspicit scriptor, qui de eo iudicium tanta laude plenum fecit, ut Titus Livius illud quasi virtuti ac sacro Romano nomini ignominiosum repudiaverit: «Nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, —ita Cornelius Nepos— Romanos videtur superare potuisse»<sup>4</sup>.

1. NEP., *Hann.*, cap. XIII, 4.

2. A. GELL., *Noctes Atticae*, lib. XV, cap. 28.

3. Cf. HOR., *Od.*, lib. II, 12, 2; III, 6, 36; IV, 49; *Epod.*, 16,8.

5. NEP., *Hann.*, cap. I, 2.

Nullus historiae heros occultior atque exitiabilior quam Hannibal fuit, cujus tantum nomen Romanos maxime perterrebat cum, summo furore incensus, ad Urbis portas appropinquabat. Invidia suorum, quorum injurias illatas minime ultus est, quia in Romanos tantum implacabile odium cruentamque iram, sicut rabidum anguem, in pectore fovebat, proditus, domo expulsus, fortuna sua spoliatus, ac timens ne capite dammaretur, tamen unam generis humani partem, quae ne victa discedat fortiter contendit, hic dux agere nobis videtur. Nam trans Mare Nostrum Romanis lati fines bello adipiscendi ac terribilis hostis, scilicet vir unus, metuendus et profligandus videtur fuisse.

Rerum scriptor privato odio non persequitur Hannibalem, cujus rarissimam et ingenii et animi virtutem perspicit; et in postremo capite, in quo de ejus morte disputat, quasi maestum ac sollemne vale tanto viro his verbis dicit: «Sic vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, anno acquievit septuagesimo»<sup>5</sup>; quod verbum «acquiescere» tantum virum inquietum ac vexatum optime decet.

Altera «Vita» digna, quae adolescentibus legatur ac facile illustretur, est Catonis Majoris, Censoris quoque appellati, quae alterius amplioris est compendium, quam rerum scriptor Attici rogatu scripsisse his verbis declarat: «Hujus de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponi Attici»<sup>6</sup>.

Omnium civilium ac rectarum virtutum, temporibus illis summae corruptionis plenis, nobile apparet nobis exemplar hic gravis ac venerabilis senex, de quo his verbis iudicium Cornelius Nepos facit: «In omnibus rebus singularis fuit industria: nam et agricola sollers et peritus juris consultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit»<sup>7</sup>. Morum ejus sanctitas ac factorum honestas eminet adverbio «severe», quod saepius rerum scriptor repetit cum Catonem jure rem publicam administravisse, provinciis severe praefuisse, luxuriam repressisse, quae jam tum inciperet petulantius pullulare, breviter enarrat. Quas ob virtutes suscipere inimicitias non destitit Censorius, sed virtutum laude crevit.

Utinam adolescentes nostri carissimi pariter laudari possint! Catonis exemplo juvenes praeclare atque utiliter admoneri semper possunt, ut morum sanctitatem ac vitae integritatem usque ad extremum spiritum servent.

Prof. AEMILIUS PIOVESAN

Via Fontane 26 / A 31100 TARVISII (Treviso) in Italia

5. NEP., *Hann.*, cap. XIII, 1.

6. NEP., *Cat.*, cap. III, 5.

7. NEP., *Cat.*, cap. III, 1.

# DE RE COSMONAUTICA

(eam, quae in n. 215 est edita, pars decima, et ea ultima, sequitur)

(LIX) Septimo Cal. aug. MCMLXXI, tricesimo quarto minuto supra nonam horam (apud Foederatas Americae Civitates, decimam quintam in Italia), per effusam luteo vel potius rubro colore flammam, motoria ignei jaculi, quod vulgo «Saturno 5» dicunt, sunt machinamenta accensa: statim ingenti mole vehiculum, aut capsula quae dici solet, *Apollo 15*, e consueta jactuum plaga, quam vulgo *Cape Kennedy* nuncupant, per inania projectum est. Tres praecipuae partes adhaerent ei: vehiculi minoris nempe exemplar ad res quaslibet ministrandas constitutum, quaedam capsula multiplices malleolos custodiens ad varios motus transmittendos (*Endeavour* dicta) et vehiculi lunaris exemplar (*Falcon* dictum) in superficie satellitis se positurum.

Plus quam decies centena milia spectatorum convenerant; alia multa vero aliaque ad televisificas capsellas aures oculosque intenti tenebant. Totius molis volantis pondus eo pro praecedenti praevallet, quod tribus oneribus nunc primum constat: parva nempe automataria raeda (americano sermone *jeep* dicta) electrica vi lunare solum perlustratura; loculo, ubi sunt varia constituta instrumenta in satellitis superficie collocanda, scientiarum principia investigandi causa; duplicata commeatus copia pro diuturniore viatorum commoratione in immensis caelorum spatiis. Quod pondus vero, etsi deminutum erit ob quandam combustam materiem, quae sit motoriis machinamentis suppeditata, semper tamen praevalebit.

Tribus circiter minutis actis, e navicula principe est prima ignei jaculi pars sejuncta, cum simul alterius motorium machinamentum accenderetur.

In hujus astronavis itinere tres seriae Americae classi viri praepositi una simul versantur: *David Scott*, aeronauticae artis veteranus, *James Irwin* et *Alfred Worden*, nunc primum in cosmonautarum album relati. Prima est cosmonautae *Scott* percepta vox: — *Optimum* — ipse inquit — *usque permanet iter* —. Quadragesimo sexto minuto supra tertiam posmeridianam horam (italice computatam), astronavis *Apollo* terrestrem jam orbitam iniit, post duodecimum scilicet exactum minutum quam fuit eadem in sublime projecta.

Dum cosmonautae Terram circumeunt, *Nixon*, qui publicis Foederatae Americae rebus praeest: — *Ob nullum aliud inceptum* — in-

quit — *tanta gloriae ambitione nostra res publica flagravit: quod non solum hominum animos promptos demonstrat ad omnia quaecumque ipsi temptent cognoscenda, sed maxime etiam confirmat quam magnopere unde originem trahant cognoscere oporteat. Non exigua nos spes teneat mirum Dei opus magis ac magis in aeva nobis manifestum fore—.*

Vicesimo quarto minuto supra sextam posmeridianam horam, motoria tertiae ignei jaculi (*Saturno*) partis est accensa machinula, ut, egressu jam ex orbita terrestri perfecto, in lunarem orbitam statim efficeretur ingressus. Itaque, extrema aeronavis pars, postquam semiorbe se circumegerit, se vehiculi lunaris exemplar (*Falcon*) versus, est rostri instar directa, eidemque automatis ac tenacibus uncis adhaesit: primum igitur hujus incepti opus est optime, nec ultra praestitutam horam, effectum. — Dum interim *Apollo 15* in lunarem orbitam ineat exspectamus, res majoris momenti gerendas ordine summatim enumerare liceat: 1) longiorem lunaris soli, non jam pedibus sed in raeda (anglico sermone; *Lunar rover*) electrica vi acta, lustrationem; 2) usque ad *Apennini* lunaris radices explorationem triginta quinque chiliom. longe lateque progressuram; 3) lapidum, pulveris, cujusvis alius materiae, super vel infra superficiem lunarem passim conspersae, collectionem; 4) complures satellitis imagines cosmonautae *Worden* imprimendas, in vehiculo principe Lunam adhuc orbitanti; 5) exigui satellitis manu facti e capsae ostiolo in aetheria spatia projectionem.

Antequam aeronavis in lunarem orbitam iniret, quod ad horam decimam posmeridianam, quarto Cal. aug., quin eventurum fuerit nunquam quisquam dubitavit, cosmonautae *Scott*, *Irwin*, *Worden* ad omnia et singula vehicul lunaris exemplaris (*Falcon*) instrumenta acrius inspicienda operam dederunt: certiores sunt ex eo facti suas quibusque instrumentis in eodem vehiculo compositas et ordinatas esse partes, praeterquam quod est quaedam reperta difficultas, quae impediabat ne inter caelestia ac terrestria spatia nuntiorum commercium per aetherias undas efficeretur. Quapropter, prima ac semihora, tertio Cal. aug., sunt in eandem naviculam (*Falcon*) ingressi; quatuor autem post horas rursus egressi, in principem capsam (*Endeavour*) somno se refecturos receperunt. Duabus vix exactis horis, eadem capsam mediam inter oppositas vires, et terrestres et lunaris gravitatis, superavit regionem; quare celeritas, hactenus gradatim deminuta, est denuo, ob majorem satellitis attrahendi vim, aliquantum aucta. Itaque, paulo post decimam posmeridianam horam aeronavis *Apollo 15* Terrae satellitem orbitare coepit; sic per dimidiam horam, cum tertia ignei jaculi (*Saturno*) pars, jam antea ejecta, in superficie lunari illisa, tam vehementi ictu praefregit, ut «sismographium», nuper in eadem superficie, superiore expeditione, constitutum, soli tremorem indicaverit. Vehiculi lunaris exemplar interim.



a potissima capsae (*Apollo*) parte una cum cosmonautis *Scott* et *Irwin* se junctum, satellitis superficiem petiturum leniter labi coepit, ubi sensim se posuit, decimo sexto exacto minuto pridie Cal. aug. (more italico computato tempore).

Est haec plaga quam quae maxime impervia: compluribus passim interjecta foveis, quas rectius crateras dixeris, ad *Apennini* lunaris radices late patens, cujus summa juga sublimius tolluntur; eidem finitimus est admodum depressus hiatus, propior aream, quam *Imbrium Mare* appellant. Postquam per aetherias undas terrigenis significavit quantum fuerit suus commotus animus, cosmonauta *Scott*, altera exactus hora postquam lunaris navicula solum attigerat, hujus ostiolum reclusit, propiorum circumspectus locorum imagines impressurus: «teletheca» enim imposita, et lenioris delapsus et electricae raedae e navicula in lunarem superficiem dimotionis et explorationis initae imagines transmisit. Directa mox est raeda usque ad extremum hiatus marginem, tria milia circiter passum in altitudinem desidentis (italice: circa quattroceto metri), prope *Apennini* montes *Hadley* nuncupatos. Per octo circiter chiliom. peragrare raeda perrexit; reliquam autem pervestigationem cosmonautae pedibus plus quam sex horis perfecerunt; cum retro versa redire coeperit, raeda, rotis ac motoriis instrumentis sui generis instructa, spisso operta pulvere inventa est; quae tamen saxorum, lapillorum, cujusvis alius e terebrata soli crusta materiae est sacculis onerata: quasi maris unda fluctuabat ipsa. Quod primum cum prospere successit opus, cosmonautae membra tandem requiete reffectum in lunaris vehiculi exemplar (*Falcon*) se receperunt.

E somno, nona ac semihora Cal. aug., soluti, iidem, motoria machinula, quae anteriores raedae rotas dirigebat, in integrum restituta, alterius perlustrationis initium fecerunt, ad prima *Apennini* (*Hadley*) declivia se conferentes: in itinere, de variis crateribus, in quos incurrerant, singillatim nuntium doctissimis Terrae viris recensuerunt. Aliquid temporis interdum sunt hic illic morati, saxorum collecturi fragmenta: quibus colligendis accidit quondam ut *Scott*, nescius quomodo — haud recte forsitan corpus libraverat — ceciderit; qui tamen, a comite *Irwin* sustentus, rursus erectior inambulare perrexit. Cum ad naviculam lunarem (*Falcon*) pervenerint, raedam vacuefecerunt sacculis, in quibus discripte lapidum fragmenta, pro sua quaeque varietate, condita erant. Antequam autem concubitum irent, duos passus in profundum solum terebrare voluerunt, quo caloris gradu satellitis crusta aestuet temptaturi nec non et alia interioris materiae exemplaria praecepturi; suae demum nationis vexillum confixerunt: quarto quidem a prima expeditione perfecta. Potissimum prae ceteris id porro aestimandum, quod *Scott* voce plena, prae gaudio tamen identidem rupta: — *Quod diu quaerebamus* — exclamavit — *jam tandem invenimus!* — Nam duri saxi fragmentum,

instar crystalli concretum, invenerunt, quod forsitan peritissimi scientiae studiorum viri «anortite»<sup>1</sup> nuncupant, subviridi colore, quodque vulcania quaedam eruptio antiquitus aliquando forte evomuerit, ex imis proinde satellitis visceribus ejectum: fortuita vere res designandi facultatem fecerit quibusnam vicibus, antiquissimis abhinc temporibus, nostri satellitis constituta fuerit forma.

Memorandum etiam, his faustis augustis Calendis, nuntium e Luna P.P. Paulo VI transmissum, quo cosmonautis omen rependere placuit jam a Pontifice dictum, ut tantum inceptum eventurum prospere foret. Cui nuntio plurima in *Gandulfianae* arcis<sup>2</sup> platea fidelium coacta turba effusius plausit.

Membris somno reffectis, inter tertiam lunaris soli perlustrationem est alia materies collecta ad trecentas ex toto circiter libras pondo; quaedam etiam terebra est nunc primum adhibita: instrumentum nempe, quod e conexis ferratis hastis constat in longius aut brevius producendis, electrica vi actum. Placuit, praeter cetera, viro *Scott* legem illam experiri, ut ita dicam, quam jam quartum abhinc saeculum ille physicarum rerum studiosissimus, *Galilaeus Galilaei*, enuntiaverat, ex illa Pisarum urbis turri illam prospere expertus: nam, e dimidia sui corporis altitudine idem *Scott* malleum ac plumam simul demisit, quae simul ambo solum tetigerunt, etsi e diversa materiae natura.

Tertia ac semihora posmeridiana, postridie Cal. aug., cosmonautae in lunarem naviculam sunt demum ingressi, cujus pars superior e reliquo vehiculi exemplari (*Falcon*), quatuor exactis horis, se juncta, una cum aeriis hospitibus Lunam orbitare coepit, principem capsam (*Endeavour*), quasi praepetem alitem, insectatura, qua comes *Worden* tertium jam diem satellitem circumibat.

Cum eadem vehiculi pars, non ita multo post, principem capsam arripuerit, *Scott* et *Irwin* una cum comite gubernatore sunt rursus versati; mox, pretioso onere, nempe sacculis varia refertis materie, sublato, e capsam (*Endeavour*) expulsa, in satellitis oris illisa suum invenerit finem. Tunc demum, paulo post undecimam posmeridianam horam, pridie Nonas aug., cum septuagies quater Lunam orbiterint, cosmonautae, potiore astronavis *Apollo 15* motoria machinula accensa, quae Lunae vim gravitatis superaret, in Terram redeundi causa iter retro versum aggressi sunt, non sine aliqua salutatione prius terrigenis transmissa.

Reliquum postremo erat ut nova sublimior captaretur orbita, quo diutius minusculus quidam satelles, manu pridem confectus, inter inania prociendus, tempori edaci resisteret: nam idem per integrum

---

1. Metallicus lapis, qui silice, calcio, aluminio constat.  
2. Aestiva pontificum sedes non longe a Roma.

annum magni momenti nuntios in Terram transmittet, donec in superficie lunari illis confregerit.

Conspicuum imaginum copiam, quae lucis ope sunt in orbitanda Luna impressae, in quandam arculam cosmonautae condiderunt: quibus deinceps novam satellitis tabulam, optime definitis et admodum perspicuis notis refertam, cosmographis atque cartographis diligentius describere licebit.

Nonis augustis, quadragesimo minuto supra quintam posmeridianam horam (in Italia ex longitudine EST a meridiano Greenwich ad decimumquintum gradum computatam), est aliud effectum opus: *Worden* ex illa principis capsae (*Endeavour*) parte, ad res quaslibet ministrandas constituta, per ostiolum in immensum libere se projecit, umbilicali quem dicunt tantum funiculo retentus, arculam recuperandi causa, qua cinematographicae taeniolae sunt conditae: est propria indutus tunica, sine qua ne comites quidem extra ostiolum se protendere poterant, si forte pervagantis saluti praesto esse oporteret; at id mirabilius quidem, quod, ob alteram recuperandam arculam, tam temerariam pervagationem iterare decuit. Qua duplici deambulatione feliciter perfecta, aërii viatores, ibidem simul versati, reditus iter perrexerunt. Cum subito mirandum en eis spectaculum obicitur: nam facultas ipsis contigit Terram inter Solem ac Lunam interpositam intuendi, ac proinde eandem Lunam, prae Terrae projecta umbra, deficientem. Cui nihil aliud, arbitremur, simile usquam spectandum dabitur propter minimum a caelesti portento interjectum spatium.

Quibus omnibus, antequam sumus narrationis finem facturi, postremam e rebus gerendis adjungere liceat: colloquium nempe cum diurnariis scriptoribus in Terra congregatis a cosmonauta *Scott* e sublimi per solidam horam habitum; quidam ex illis est etiam opinatus illius duri saxi fragmentum, instar crystalli concretum, subviridi colore, quod jam modo inter alia inventum diximus, multa profecto mirabilia de Terrae nec non et ipsius Lunae origine patefacturum.

Jam demum finis. Quadragesimo sexto enim minuto supra decimam posmeridianam horam (in Italia more solito computatam), aeronavis *Apollo 15*, triumphans, Oceani Pacifici sequora attingit, vel potius est mergi paene coacta ob necopinam tertiae adapertilis umbellae defectionem, non longe a sinu *Honolulu*, quem nuncupant, nempe ab insularum urbe principe *Hawaii*. Mox, per urinatores (nempe sub aquam natandi peritissimi), quos, verbo in alienum translato, *ranas* vulgo dicunt, e navicula fluitanti in quaedam gummeam cymbam est cosmonautarum transitus expeditus, unde eos quaedam machina helices instructa (italice: *elicottero*), singulos in-

torti chalybeii funiculi ope sublato, in superno navis *Okinawa* tabulato deposuit, dum nautica turba elata voce laetans salutatur.

O vere *audax Iapeti genus* America dignum!

Ex quibus omnibus effici cogique potest, non dissentientibus ipsis rei cosmonauticae doctissimis viris, hanc expeditionem, quae tam prospere cesserit, quasi rerum hominumque triumphum significantem, non solum scientiarum studia, verum etiam humanarum artium rationes celebrare, quibus tantum sit aetas nostra progressa.

Prof. JANUARIUS MARINELLI  
Via Salvator Rosa, 241  
NEAPOLI in Italia

# BIBLIOGRAPHIA

MIR, J. M., CMF. — *Nova verba latina*. In aedibus librariis Claret, Barcinone, 1971. Pag. 336.

Cum multi viri docti nostrorumque commentariorum lectores, qui linguae latinae vivae reddendae student, saepissime a nobis opusculum "Nova et vetera" inscriptum et a J.M. Mir. CMF., in Pontificio Instituto Altioris Latinitatis Prof. exaratum petebant, aegerime ferebamus hujus modi operis exempla jam diu esse apud bibliopolas exhausta. Nunc autem maxime perfundimur gaudio, cum hanc novam atque amplificatam editionem, quae longissime opusculum ante memoratum superat et copia vocabulorum novorum aut novatorum et auctoritate et ratione scientifica, iis quorum interest nuntiari possimus. En operis novi ratio ex ipsius auctoris verbis desumpta: "Quae in singulis Commentariorum (Palaestra Latinae) fasciculis edita sunt, in unum volumen componenda et complenda putavi: ut, quae a paucis tantum percepta sunt, multis nota fiant et in usum et consuetudinem, si id fieri possit, inducantur". Scitissimam probamus eamque eruditissimam praefationem quam habet Prof. J. M. Mir, CMF., in qua de Schola Latinitatis Claretiana agit deque viris qui ad eandem pertinere censendi sunt, quae sint in primis Scholae hujus Claretianae normae in novis verbis latinis condendis, quaenam observandae fuerint etiam normae et graecis et classicis latinis—in iisque praesertim Ciceroni—et litterarum renascentium cultoribus et recentissimae aetatis nostrae scriptoribus, in quibus ipse Prof. Mir suam aperit sententiam de novandis verbis latinis aut de novis rebus novis verbis donandis, liberrima quidem sed accurata,

scientifica, verae latinitatis religiosa ratione ut optimi optimae latinitatis scriptores in hoc negotio effecerunt, rejectis ceterum opinionibus cum severioribus quae "analogiam" tantum consecantur tum laxioribus quae in verbis novis adhibendis libertatem omne genus vindicant (p. 7-22). Per abundans de re offertur bibliographia, ubi lexica apparent quae interdum memorantur, commentarii et libri in quibus proponuntur et adhibentur nova aut novanda verba latina, scriptores qui de linguistica et semantica agunt et consuli possunt (p. 24-27). Haec argumenta attinguntur ab auctore: Surrectio matutina. In officio nostro. Ludus litterarius-Schola. Dactylographum. De grammophono. Villa hodierna. Laconicum - Calefactio. Culina hodierna. De cena et prandio apud Romanos et apud nos. De argentaria. Oculus - Ocularia - Microscopium. Canales. In campo athleticae. Summus sum birotarius...! De tabaco (I-II). Iter tramine feci. In aeriportu. Hiberni temporis imago. Adventat ver. Tempus aestivum. Autumnus. Collegium nostrum aspiciate, pueri! Mulier et gallina. Ex epistularum inter socios commercio (p. 28-255). In omnibus capitibus, quae opportunis imaginibus pictis illustrantur, rerum nostrae aetatis praemititur narratio eo consilio exarata ut nova aut novata vocabula usus cottidiano discantur; tunc verba referuntur quae ab scriptoribus recentioris latinitatis usurpantur, quorum alia probantur, alia historice describuntur, alia improbantur, alia demum dubia perseverant. Hujus modi narrationes in Palaestra Latina editae sunt; verba autem hac nova editione penitus retractantur. In extremo opere indices vocum latinarum, hispanicarum, italicarum prostant, quo facilius quodlibet vocabulum in-

veniatur (p. 257-331). Faxit Deus ut vires, vitam studiumque latinitatis vivae reddendae benigne quam plurimos annos colendissimo carissimoque fratri nostro claretiano Prof. J.M. Mir producat, ut nova argumenta de novis rebus inventis civitate latina donandis in Palaestrae Latinae paginis pertractet novumque volumen in lucem divulget.

BAYERISCHEN AKADEMIE. — *Mittellateinisches Wörterbuch*. II. Band. Lieferung 3 (13. Lieferung des Gesamtwerkes) *casalis-cereus*, col. 321-480. C. H. Beck'sche Verlagshandlung, München, 1970.

Academiae Bavaricae novum fasciculum lexicum, quod "Mittellateinisches Wörterbuch" inscribitur, lectoribus suscipimus recensendum. Lexicon vere ingens maximique momenti ad medii aevi latinitatem quod spectat, quo minime carere possunt ii qui linguae latinae per saecula evolutioni student. Scientifica ratione ac via unumquodque tractatur vocabulum cujus varii sensus seu significationes consignantur testimoniisque illorum medii aevi temporum litterariis illustrantur. Fusius tractantur quae sequuntur vocabula: *caseus, castellum, castrum, cassus, catalogus, cathedra, catholicus, caula, caveo, causa, causor, cautela, cautio, cedo, celebris, cella, celsitudo, censeo, censura, census, centrum, cera*. Utinam alii continuo prodeant fasciculi hujus desideratissimi lexicum quod latinitatis studiosis summae fore utilitati pro certo habemus.

KENNEY, E. J. — *Lucretius, De Rerum Natura*, Book III. Cambridge University Press, 1971. Pag. 225. L. 2.40 net, \$ 6.00 in U.S.A.

Opus lucretianum "De Rerum Natura" inscriptum vehementissima superstitionis religiosae rerumque rationi non consentaneum est impugnatio.

Namque poema rationem formamque exhibet minutissimae expositionis doctrinae physicae Epicuri ad populi timores deorum, mortis rerumque vitae ulteriorum depellendos, etsi Lucretius ita suas exponit sententias ut ex ejus dicendi genere, pietate quadam ac vehementia religiosus fere ipse videatur. Liber tertius "De Rerum Natura" ab omnibus subtilissimus totius poematis lucretiani communiter habetur; ibi Lucretius animam hominis pariter atque corpus mortalem esse tenet responsumque homini et morti et mortalitati reddendum rationabile, dignum, servitutis exuens esse posse. In introductione primum haec argumenta pertractantur: 1. *The Doctrine*; 2. *The Poet*; 3. *The poem: (a) Scope (b) Structure*; 4. *The Poetry: (a) The two traditions and the two styles (b) Language and metre*; 5. *Book III: (a) Subject, structure and argument (b) The "consolatio"*; 6. *The Text* (p. 1-35). Deinde sequitur textus latinus brevi selectoque apparatu critico insignitus (p. 37-73). Denique totius libri comentatio (p. 74-244), bibliographia (p. 245-247), indices (p. 248-255).

BARNES, T. D. — *Tertullian. A historical and literary study*. Clarendon Press. Oxford, 1971. Pag. XI-320. Price: L. 6.00 net.

Tertullianus, scriptor christianus, vixit atque scripsit Carthagine romana Septimio Severo (a. 193-211) ejusque filio Caracalla (a. 211-217) imperantibus. Tertulliani volumina et opuscula adjuncta hujus modi historica ostendunt simul atque vitam primorum christifidelium qui persecutione ethnicorum afficiebantur. In hoc volumine Prof. T. D. Barnes parte operis prima (II. *The Evidence of Jerome*; III. *Tertullian's Father*; IV. *The Jurist Tertullian*; V. *Chronology*) et appendicibus de adjunctis in primis historicis disertissime agit, sine quibus Tertullia-

ni scripta intellegi omnino non possunt; altera autem parte (VI. *Tertullian's Life and Background*; VII. *Christianity in Africa*; VIII. *Christians and Pagans in Carthage*; IX. *Knowledge or Revelation?*; X. *The New Prophecy*; XI. *Persecution*; XII. *Martyrdom*; XIII. *A Pagan Education*; XIV. *The Christian Sophist*) historicis his innititur adjunctis auctor ut quae fuerit intellectualis Tertulliani evolutio, quo pacto sese erga societatem gesserit quemque locum habuerit in litteris latinis ostendat. Notemus oportet auctorem primam partem destinare ad falsam Tertulliani speciem seu figuram denuandam, quam non nulli scriptores in quibus Hieronymus, perperam effinxerunt.

GUTHRIE, W. K. C. — *Socrates*. Cambridge University Press, 1971. Pag. VII-200. Price: L. 1 net. \$ 3.45 in U.S.A.

GUTHRIE, W. K. C. — *The Sophists*. Cambridge University Press, 1971. Pag. IX-345. Price: L. 1.40 net. \$ 4.75 in U.S.A.

En tibi duo volumina ab eodem auctore exarata quae sese mutuo complent, nam utrumque opus magnae historiae cogitationis graecae tertiam constituit partem, ubi et Sophistae et Socrates revocantur; qui omnes praecipuae exstant personae in dramate philosophico graeco. Ad Socratem quod spectat Prof. W. K. C. Guthrie eum asserit in aequalium controversiis principem jure fuisse ut item in subsequenti historia philosophiae occidentalis. Primus Socrates aggressus est implicatissimas quaestiones logicas ac philosophicas; fuit autem vir de quo vehementissime diversissimeque disceptatum est propter ejus summum praesertim ingenium praestantissimumque vitae curriculum. Quod ita ex indice patet, auctor pertractat: I. *Problem and Sources*; II.

*Life and Character*; III. *Philosophical Significance*. *Bibliography*. *Indexes*.

Quid autem de altero volumine "The Sophists" inscripto dicendum? Non nulli iique praecipui in eo inducuntur philosophi ut Protagoras, Gorgias, Hippias, qui maximum vitae intellectuali moralique Athenarum saec. V incrementum dederunt. Namque sophistae examini disputationique summittere ausi sunt regulas vivendi ac mores, religionem, societatem ejusque instituta, naturam cognitionis et linguae; inierunt praeterea graves continuasque disputationes quibus et Socratem et Platonem incitaverunt ut iterum constituerent, confirmarent, defenderent res virtutesque usu ab antiquis traditas. Quae omnia ex indice patent: I. *Introduction*; II. *Topics of the Day*; III. *What is a Sophist?*; IV. *The "Nomos"—"Physis" Antithesis in Morals and Politics*; V. *The Social Compact*; VI. *Equality*; VII. *The Relativity of Values and its Effects on Ethical Theory*; VIII. *Rhetoric and Philosophy*; IX. *Rationalist Theories of Religion: Agnosticism and Atheism*; X. *Can Virtue be Taught?*; XI. *The Men*. *Bibliography*. *Indexes*.

GIGON, O. — *Los orígenes de la filosofía griega*. Ed. Gredos, Madrid, 1971. Pag. 370.

Initium seu origo philosophiae graecae multos allexit investigatores. Nihil mirum si Prof. O. Gigon operam impensissimam navaverit ut nova investigandis hujus modi originibus afferret, quod re vera est consecuta; auctrix enim e tenebris quasi eruit philosophiam praesocraticam jam inde ab Hesiodi theogonia usque ad Parmenidis ontologiam, praecipuis illius aetatis philosophis ut Thalete, Anaximandro, Anaximene, Pythagora, Xenophane, Heraclito accuratissime exploratis. Hoc propositum auctrix habuit: evolutionem tractare praecipuarum quaestionum philosophosque inducere non se-

paratim sed adjunctis historicis cum ad superiora tum ad nova quod spectat circumscriptos. Hac via ac ratione philosophi antiqui quasi redivivi apparent sive propria ad disciplinam philosophicam afferendo sive et cum superiore et cum insequenti traditione sese conjungendo. Mira O. Gigon in investigando sagacitas atque industria, nam etsi aegre ferat nullum esse corpus locupletius fragmentorum praesocraticorum quam Diels editionem, ejus tamen conspectus ea penetrare valet, quae aliis tenebrae densissimae viderentur. Inter plura magnum nobis meritum aestimandum quod Prof. O. Gigon originem philosophiae in poesi invenerit pari modo quo Nietzsche tragoediae initium in musica comperit.

GREIMAS, A. J. — *Semántica estructural. Investigación metodológica.* Ed. Gredos, Madrid, 1971. Pág. 398.

Semantica semper cum apud veteres tum apud recentes obscura linguisticae exstitit ancilla. Nam hac nostra quoque aetate, prope phonologiam grammatice quae magnum nanciscuntur incrementum, semantica quasi exilis et ignobilis videtur, adeo ut sint qui eam asserant proprio carere fine rationique ac viae structurali subici non valere. Tamen clmus. Prof. A. J. Greimas totis viribus hujus modi disciplinam vindicans semanticam propugnat inno structuralem severissimis condicionibus rationibusque scientificis aggrediendam atque pertractandam. Legentes speramus momentum hujus operis percepturos esse; minime vero omnino quasi e medio quaestiones tolli universas aestimamus quibus descriptio omnis semantica implicatur; tamen propius hae difficultates tentari possunt novaeque viae investigatoribus hoc opere patent quibus in amplissimam semanticam dicionem feliciter ingrediantur. En tibi operis index: *Las condiciones para una semántica cien-*

*tífica* (p. 7). *La estructura elemental de la significación* (p. 27). *Lenguaje y discurso* (p. 45). *La significación manifestada* (p. 63). *El nivel semiológico* (p. 83). *La isotopía del discurso* (p. 105). *La organización del universo semántico* (p. 156). *La descripción de la significación* (p. 182). *Los procedimientos de descripción* (p. 216). *Reflexiones acerca de los modelos actanciales* (p. 263). *En busca de los modelos de transformación* (p. 294). *Una muestra de descripción* (p. 339).

MOUNIN, G. — *Los problemas teóricos de la traducción.* Ed. Gredos, Madrid, 1971.

Numquam ulla aetate plures quam nostra conversiones ex alia in aliam linguam fuerunt; quod tamen etsi linguisticum munus videatur, disciplinae linguisticae cultores parvi pendere solent, cum aliquid ab ea alienum omnino existiment cumque ex eorum plerumque sententiis conversio omnis in casum quasi destinata videatur. Prof. G. Mounin hoc opere prorsus scientifico quam plurimas rationes atque argumenta pertractat subtiliter quae conversionem attingunt; minime vero auctorem praeterit quamlibet linguam eis qui ea utuntur certum statumque concipiendi mundum ac res modum imponere hominumque cultus alios ad aliis longissime abesse, adeo ut omnis sermonis communicatio inter homines plurimis obruta difficultatibus impossibilis fere reddatur. Prof. G. Mounin hujus modi difficultates solvere contendit scientificis ad linguisticam quae spectant rationibus ostendens quaedam quoque universalia, cum psychologica tum linguistica, variis diversisque populis communia munusque interpretis esse non tantum linguam alienam calere sed his communibus vinculis in nitendo rationes modosque peculiare concipiendi percipere loquentium exterorum.



DUMEZIL, G. — *Los dioses de los indoeuropeos*. Ed. Seix Barral, Barcelona, 1970. Pág. 117.

Prof. G. Dumézil hoc opere, quo quattuor acroases colliguntur ab auctore in Universitate et Societate Philologica Londiniensi habitae, tripartitam structuram explorat theologiae vedicae et praevedicae, iraniae, romanae, palaeogermanicaeque communem, quae tribus quasi muneribus vel condicionibus socialibus respondet, id est, sacerdotibus, militibus, pastoribus, nec non tribus quoque regionibus topographicis: caelo scilicet, atmosphaerae, terrae, G. Dumézil non tantum deos indoeuropeos in se ipsis nulli potestati obnoxios et ab alienis rebus sejunctos considerat sed praeterea vincula seu commercia inter structuram tripartitam mundus indoeuropaeus concipitur atque significatur. Si vis, en habes operis indicem: I. *Los dioses de las tres funciones*; II. *Los dioses soberanos*; III. *Estructura y cronología*; IV. *Algunos aspectos de los dioses romanos*.

DÖRRIE, H. — *P. Ovidii Nasonis epistulae Heroidum*. Ed. W. de Gruyter, Berlin, 1971. Pag. 336. DM 120.

Testimonio ipsius P. Ovidii Nasonis de Heroidum epistulis meinorato, Prof. H. Dörrie per amplam eamque scitam habet praefationem, quam in tres partes dispertit; in prima rationem hujus editionis exponit de memoria apocrypha, de vitiis scribarum vituperandis, de editione minore in majore oblata, de non nullis orthographice enumerandis, de testibus in jus vocatis disertissime agit; in altera parte conspectum codicum pertractat nec non codices deperditos et fragmenta testiumque conspectum; parte demum tertia haec argumenta attinguntur: conspectus editionum praecipuarum, conspectus librorum, compendia ad conspectum librorum adhibita, opuscula superiore saeculo

composita, libri de Ovidio potiores, opuscula quae Ovidii artem stilumve tractant, opuscula quae spectant ad rem metricam, libri quibus epistulae Heroidum tractantur, libri quibus inquiritur an genuinae sint epistulae Heroidum, opuscula quae ad epistulas 1-14 spectant, opuscula quae spectant ad binas epistulas 16-21, opuscula quae spectant ad binas nec non Sapphus epistulas, opuscula quae spectant ad Ovidii memoriam, opuscula ad codices ovidianos sepectantia, poetae qui Heroidum epistulas imitati sunt, conspectus opusculorum ad singulos versus spectantium, index auctorum quorum hic conspectus recordatur (p. 3-43). Praefatione peracta, textus latinus prostat XXI epistularum Heroidum accuratissimo apparatu critico instructus (p. 47-286), epistula XV tamen Sapphus remota in editionis calcem, quippe quae specialibus difficultatibus laboret adeo ut in ea epistula explicanda non nulla plura quam in reliquis habeat auctor qui de memoria Sapphus epistulae agit, quibus legibus vulgatae classis codices inter se sint conjuncti, de codicibus eliminandis, de priscis editionibus vv. dd. Domitii Calderini (1447-1478) et Andreae Naugerii (1483-1529), de familiis *c f q*, de apparatus critici ratione atque usu, de codicibus enumerandis, de commentariis ceterisque rebus quibus textus latinus illustratur (p. 287-329). Valde utilis aestimandus est index nominum propriorum in extremis operis paginis appositus (p. 331-336).

CAPELLANUS, G. — *Parlez-vous latin?* Nouvelle édition revue et corrigée par Ludwig Spohr. Ed. T. Aubanel, Avignon, 1968.

Hoc qui volumen G. Capellani in aedibus librariis Aubanel Avenione editum et a L. Spohr recognitum manu versaverit, facile perspiciet quantum vigeat in praesens lingua latina. Quisnam igitur lingua emortua nunc elo-

qui audeat? Cum latine nostra aetate eloqui sit auctoris propositum, res tanguntur hodiernae, prout necessitudines hominum recentium expostulant. In tres partes dividitur volumen, quarum prima (p. 9-61) haec argumenta continentur quae in loquendo magnopere usurpantur: de tempore, de jocose dictis, de salutatione, de visitatione, de excusatione, de faustis ominibus, de precibus et gratiis, de culpa, de venia, de quaerendi modis, de modis affirmandi, de modis negandi, de aetate, de corporis specie, de vicinis, de scriptura. In altera parte (p. 62-161) non nulla de vita cotidiana praebentur: A. De domo familiaque; B. De jentaculo, prandio, cena; C. De deambulationibus per urbem; D. De itineribus; E. De valetudine; F. De ludis et ludicris corporis exercitationibus; G. De rebus diversis: de vi atomica, de aere potiundo, de rebus politicis. In tertia demum parte haec attinguntur: nomina geographica: flumina, montes, variae regiones, praecipuae urbes; hac etiam parte continentur locutiones quaedam seu proverbia, sententiae philosophicae ac juridicae, non nulli loci versuque memoria digni, nec non quaedam curiosa et jocosa. Nihil est dubii quin hic liber manualis magno futurus sit adjumento iis in primis qui nostra aetate lingua latina loqui velint; majoris autem opus esset utilitatis, si index vocabulorum in extremis paginis prostaret, quo verba vocesque illius ope facilius invenirentur.

DIGGLE, J. — *Euripides: Phaethon*. Cambridge University Press, 1970. Pag. XI-244. Price: L. 6.25 net. \$ 19.50 in U.S.A.

Textus qui separatim ac dispersim constant Phaethontis operis euripidei e duobus in primis fontibus ad nos pervenerunt: e duabus paginis manu scripti cujusdam euripidei circiter anno

D. exarati, quod postea usurpatum est ut partem codicis Claromontani Novi Testamenti constitueret et papyro saec. III a. Chr. n. quo praecipua pars parodi continetur. Qui fontes locis scriptorum classicorum memorantur recentique eaque conjecturali restitutione instruuntur. Prof. J. Diggle, qui omnia manu scripta exploravit, quam plurimas novasque lectiones atque interpretationes offert fragmentorum in primis quae ad codicem Claromontanum pertinent. Primum "Prolegomena" habet auctor, ubi de Phaethontis mytho in litteris graecis et latinis diserte agit; non nullis imaginibus photographis manu scriptorum allatis, de papyris atque codicibus etiam diserit deque tempore quo Phaethon conscriptum videtur; deinde textus graecus primigenius et conjecturis seu hypothesei restitutus; denique opus euripideum comentariis exegeticis instruitur. Non nulli appendices in extremo volumine prostant: A. *Ovid and Nonnus*; B. *The Rhetors*; C. *The Monuments*. *Bibliographia. Index verborum. Index of passages discussed. Subject index. Greek index.*

DUPONT, L. — *De l'analyse grammaticale à l'analyse littéraire*. Ed. Didier, Bruxelles, 1969. Pag. 292.

Liber manualis Prof. L. Dupont magnam afferet lucem magistris in primis qui textus litterarios commentariis exornandos alumnis tradere debent. Quam rationem ac viam fragmenta scriptorum illustrandi in eo esse aestimamus ut in elementis linguisticis praesertim et grammaticis innitatur; quo perspicue patet quantum dicendi genus a linguae officiis muneribusque pendeat. Prof. L. Dupont notiones praecipuas naturae verborum seu vocum, proprietates, munera, syntaxim accurate ante oculos habens, textum commentatione exornare valet ope grammaticae, stilisticae, semanticae, psychologiae.

Haec tertia operis editio quae ad nos pervenit, multis rebus recognita atque amplificata textibusque optimorum scriptorum illustrata ac locupletata, utilibus indicibus instructa, cum alumnis tum magistris haud parvo erit adjuvamento.

LOMBARDI VALLAURI, L. — *L'Amicitia. Il "Laelius" di Cicerone e altri testi di Cicerone, Aristotele, Epicuro, Seneca, Epitteto*. Ed. Paravia, Torino, 1970. Pag. XVI-181. Lire 1500.

Neminem nostris temporibus praeterit quanta voluntate studioque homines, praesertim juvenes, recentissimi amicitiam excolant atque curent. Quam plurimis hodie hominibus est propositum omnes labefactare muros quibus homines ab hominibus separantur: impedimenta dicimus civitatis, stirpis, condicionis oeconomicae vel socialis, religionis, rei politicae, morum disciplinae, cet. Nostra tamen aetate cum communitio inter homines atque conjunctio adeo excolatur ut persona humana seu peculiare hominis ingenium universorum hominum numero quasi dilui videatur, L. Lombardi Vallauri hoc opere quid de amicitia veteres senserint, in primis Cicero, nec non Aristoteles, Epicurus, Seneca, Epictetus; qui omnes amicitiam vindicarunt excolendamque proposuerunt, dummodo ea propriae personae ingenium, dotes, virtutes perficerentur. Dialogus "Laelius" de amicitia Ciceronis in opere praestat scitissimis commentationibus Prof. L. Lombardi Vallauri exornatus; quem non nulli insequuntur appendices de sapientiae significatione et in primis de amicitiae sensu apud antiquos. Selecti quoque Ciceronis loci De finibus bonorum et malorum, De officiis, de Tusculanis Disputationibus, De legibus, De inventione excerpuntur, ut perfecte absoluteque mens ciceroniana de amicitia aperiat.

CASTELLI, G. — *Tacito: Principato e Libertà. Antologia da tutte le opere*. Ed. Paravia, Torino, 1970. Pag. VII-281. Lire 1800.

Ut ipsius auctoris verbis utamur, his anthologicis non nulli loci tacitiani colliguntur, in quibus de libertate disseritur. Fragmenta idcirco seliguntur ex Dialogo de oratoribus (p. 3-37), ex Agricola (p. 41-95), ex Germania (p. 99-141), ex Historiis (p. 145-215), ex Annalibus (p. 219-260). Singulae introductiones, praeter aditalem, quinque partibus nuper memoratis locorum tacitanorum praemittuntur, ubi peculiare cujusque operis Taciti proprietates exprimuntur. Ex quibus omnibus patet Tacitum condicionem "viri senatorii ordinis" exuere aegre posse imperiumque tanquam remedium licentiae esse, etsi vetus aetas, id est, res publica ab eo desideretur; sed praecipua apud Tacitum exsurgit quaestio principatum ac libertatem conciliandi, adeo ut juxta ejus sententiam civem oporteat "inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum" (Ann. 4, 20, 3); praeterea non tantum romanorum libertatem tueri admodum Taciti interest verum etiam illarum gentium quae imperio romano subiciuntur. Non nulla tandem extremo operi apponuntur paginae optimorum scriptorum recentium (I. Lana, E. Paratore, R. Syme, A. Garzetti) quibus universa Taciti mens de imperio ac libertate illustratur.

BOELLA, U. — *Seneca: La condizione umana. Antologia dai Dialoghi, dalle Lettere a Lucilio e dalle Tragedie*. Ed. Paravia, Torino, 1970. Pag. XXII-275. Lire 2000.

Prof. Humbertus Boella, operibus Senecae omnibus perlustratis, praecipuos locos ad mentem philosophi cordubensis hoc volumine de conditione humana collegit. Nemo aptior ut de ho-

mine disputet quam Seneca, qui vitam degit diversis exagitatam adjunctis, subitis mutationibus minisque obnoxiam; qui eodem fere tempore gloriam gratiamque, invidiam ac perfidiam hominum expertus est; qui praeterea, vir singularis ingenii, continuis agitabatur cogitationibus de homine ejusque in variis vitae discriminibus agendi modis. In quattuor quasi capita Senecae mentem de condicione humana summam Prof. H. Boella redigit: I. De hominis imbecillitate ac fragilitate; II. De dignitate humana; III. De hominis cum aliis necessitudinibus; IV. De morte. Unoqueque capite loci Senecae brevi sed luculenta introductione satisque argumenta illustrantibus commentationibus exegeticis instruuntur. Extremo demum volumine non nullae paginae criticae de Senecae ingenio ac natura (M. Pohlenz), de ejus animi discidiis (F. Martinazzoli), de Senecae dicendi genere (A. Traina), de tragoediis Senecae (A. Rostagni), de Seneca et humanitate (P. Grimal), de Seneca atque Lucretio (I. Lana), de Senecae obitu (C. Marchesi). Utilissimum opus redditur indicibus locutionum Senecae praecipuarum scriptorumque medii aevi recentisque aetatis qui memorantur.

SANZ FRANCO, F. — *Homero: La Iliada*, vol. I. Ed. Avesta. Barcelona, 1971. Pág. 668.

Res prorsus apud nos insolita ideoque omni laude digna Iliadis homericæ editio nova textu graeco, interpretatione vernacula ceterisque adminiculis, quibus eam scientificum plane opus jure nuncupemus. Caveat tamen lector ne insperato hujus editionis ordine decipiatur; tanta enim in auctore Homeri ejusque operis reverentia inesse videtur ut, praeter consuetudinem usumque, introductio ceteraque adjuncta post textum Homeri graecum et interpretationem hispanicam prostent. In hoc volumine primo primi tantum li-

bri XI continentur cum textu graeco et vernacula interpretatione (p. 2-493). Deinde synopsis prostat iliaca ubi uniuscujusque libri exponitur argumentum (p. 495-513), qua peracta, annotationes sequuntur et critica textualis ubi praecipui homerici loci explicatione indigentes commentationibus instruuntur (p. 515-609). Glossario verba non nulla et communia et propria alphabetico ordine distributa ad legentis commodum prostant (p. 611-625). Denique abundantia selectaque bibliographia (p. 627-650) praemissa quae ad indices librorum ac recensionum, editiones, interpretationes, scholia, papyros, lexica, encyclopaedias, grammaticam, opera litteraria, libros manuales, de re peculiari scripta, historiam, scientias auxiliares, bibliographiam hispanicam spectant, scitissima habetur introductio de quam plurimis Iliadis quaestionibus. Ad interpretationem hispanicam quod attinet, quam plurima possibilia "significantia" textus homerici conservare auctor sibi proposuit immo et verborum ordinem seu dispositionem; quod adeo ad extremum exactum est ut hujus modi locutiones hispanicae durae et absonae videantur, exempli causa: "después también aquello tranquilos saquearéis llano a través a cadáveres muertos" (p. 240), "derechamente contra costado rasgó lanza su túnica" (p. 128), etsi scholastici hanc saepe interpretationem ad litteram utpote utilem desiderantes, grato benevoleque animo id ferant.

CAFFARELO, N. — *Dizionario archeologico di antichità classiche*. Casa Editrice Leo S. Olschki, Firenze, 1971. Pag. XII-529. Lire 12000.

Optimis ominibus prosequuntur periti atque studiosi hoc lexicon suscipientes. Eo enim continentur, ut operis natura id expostulat, omnia illa vocabula et communia et propria quae in exploranda antiquitate graeca et latina investigatoribus usuveniunt; verba illa

quae res, eventus, personas mythicas atque heroas, deos, instituta publica ac privata quoquo modo spectant. Hujus modi editionem jam diu desiderari aestimamus, utpote manualementem, aditu facilem, in compendium redactam, utilem non tantum ad archaeologiam classicam sed ad artis veteris historiam, ad linguisticam, ad philologiam classicam, ad veterem graecorum ac romanorum non nullorumque populorum italicorum historiam quod attinet. Praestantissimum operis hoc meritum videtur quod voces etymologiis donantur, quas cognoscere forte librum consulentium intersit; idem dicendum est de imaginibus voces illustrantibus quae selectae, quamvis ceterum parvae, non tantum aestheticum videntur ornamentum verum etiam res atque argumenta necessario explicant. N. Caffarelo, hoc lexicon exarans, a fontibus classicis non longe affuit, cum quamque vocem tractet sive optimos graecitatis atque latinitatis scriptores adeundo sive praestantissima lexica etymologica consulendo. Opus apprime laude dignum lectoribus nostris commendamus, dum amplam bibliographiam edendam, quae singulis vocibus respondeat, expectamus.

BARLOW, S. A. — *The imagery of Euripides*. Ed. Methuen and Co Ltd, London, 1971. Pag. XII-169. Price: 70s net.

Multi studiosi Euripidis opera investigarunt; eorum tamen adspectus non stilisticos ante oculos tantummodo habuerunt, verbi gratia: qua ratione dramatica Euripides usus sit, quo modo personarum naturam atque ingenium conceperit, quaenam fuerint ejus cogitata cum aequalium conferenda. Analysis autem stilisticus deest sermonis euripidei; quae lacuna, juxta auctoris sententiam, ex suspitione quadam non rite ponderata provenire partim potest, qua Euripides ingenio poetico Aeschy-

lo et Sophocle inferior aestimetur. Id sibi Prof. S. A. Barlow ostendere proposuit, accuratissima ratione ac via analysis ope linguae euripideae ususque in primis imaginum litterariorum, ingenii euripidei celeritatem ad fingendum alius longe naturae esse multumque ab Aeschylei et Sophoclis differre, minime autem deterioris videri conditionis. Hujus voluminis scriptor, qui VII capitibus haec exposuit argumenta: I. *Modes of Imagery*; II. *The Choral Odes: Imagery of Place*; III. *Monody and Lyric Dialogue: Subjective Landscapes*; IV. *The Messenger Speech: Factual Landscapes*; V. *Rhesis and Iambic Dialogue: Imagery of Physical Appearance*; VI. *Simile and Metaphor as supporting imagery*; VII. *Conclusion*, dilucide ostendit clariorem virtutem Euripidis poeticam ad ejus tragoedias aptius comprehendendas.

USHER, S. — *The historians of Greece and Rome*. Ed. Methuen et Co. Ltd., London, 1969. Pag. XI-273. Price net 18 s.

Ex indice operis argumenta facile eruere poteris: I. *Herodotus*; II. *Thucydides*; III. *Xenophon*; IX. *Polybius and his Predecessors*; V. *Sallust and his Forerunners*; VI. *Livy*; VII. *Tacitus*; VIII. *Some Minor Historians*. *Notes. Bibliography. Index*. Quibus capitibus scriptores historici chronologicè tractantur, eo tamen consilio ut cum adjunctis propriae aetatis historicis conferantur. Cum diversam cultus graeci et romani indolem naturamque opus sit considerare, minime unica spernenda est evolutio qua ex alio in alium cultum perducamur; potius curandum est nova adjuncta intento animo perpendere e quibus haec una quaestio exoritur quo scilicet sit modo historia conscribenda. Amplius frequentiusque apud veteres scriptores historicos vitium hoc videtur quod res oeconomicas describendas paulum cu-

rarunt; adeo ut ita quam plurimae datae sint explicationes de veris rerum causis quae ad pecuniam, agri culturam, metalla spectabant, quarum tamen veritas plerumque e conjecturis in praesentia pendet. Vetus enim historicus potius legentium coronam curabant, qui intento animo morum exempla suadentibus verbis tradenda usitato more ab eo expectabant; quo fit in primis historia opus prorsus litterarium.

WEBSTER, T. B. L. — *Greek Theatre Production*. Ed. Methuen and Co Ltd, London, 1970. Pag. XVII-214-24 Plates. Price net 45 s.

Hic liber, primum anno MCMLVI in lucem editus, in operibus graecis eorumque monumentis cognoscendis innititur; ad novam editionem Prof. T.B.L. Webster addenda atque corrigenda proposuit quae necessaria visa sibi erant ut opus in diem constitueretur. Haec pertractantur argumenta: scaena, fabularum in scaenam productio, scaenae locus, vestimenta eorumque evolutio et necessitudines cum areis seu locis geographicis (Athenas dicimus, Siciliam atque Italiam, Spartam, Corinthum, Boeotiam, Megaram, Cyprum, Euboeam, Delum, ceterosque Asiae Africaeque locos), praesentiaque dramatum ostenditur universo terrarum orbe, ubi lingua graeca usurpabatur, jam inde a saeculo VI a Chr. n. usque ad romanorum dominationem. Postremo operis capite testimonia seu documenta locorum colligit auctor ad historiam fabularum in scaenam producendarum, ipsius scaenae collocationis vestiumque a remotissimis aetatibus describendam, quantum Athenae praestiterint ostendendo saeculis V et VI a. Ch. n. durantibus quotque opera graecorum dramatica extiterint. Personarum tragicarum investigatio omnino probatur; praeterea index plurimorum (circiter CCL) monumentorum maxi-

mi momenti perhibetur, e quibus fere XL in extremo volumine imaginibus photographicis apparent, quae ceterum uno libro vix inveniri possunt.

MOUCHEL, G. G. — *La pratique du dictionnaire. La vie du vocabulaire. Livre du maitre, livre de l'élève*. Ed. Hatier, Paris, 1969.

Grato animo erga Prof. G. G. Mouchel sumus quod hoc opusculo, quod ad corpus "Les techniques visuales de la classe" inscriptum pertinet, nos benevole donavit humanissimisque verbis dicavit: "Au Rédacteur de *Palaestra Latina* ce fascicule de travaux dirigés qui n'a pour seule ambition que de faire aimer le dictionnaire". Quibus verbis patet quid sibi auctor proposuerit; quod jure aestimamus eum optime assecutum esse. Versare velint lectores nostri cum magistri tum alumni fasciculum; primo folia alumnis adhibentur, ubi exercitia, quaestiones sive ore sive scripto eis solvenda proponuntur; altero fasciculo annotationes bibliographicae, consilia paedagogica, commentaria, explicationes, exercitia jam correcta prostant ad magistrorum commoditatem. En opusculi index: 1. *Le classement alphabétique*; 2. *Apprivoisons le dictionnaire*; 3. *Les rubriques du dictionnaire*; 4. *Les abréviations du dictionnaire*; 5. *Du mot dans la phrase au mot dans le dictionnaire*; 6. *Exercices de récapitulation*; 7. *Homonymes et Paronymes*; 8. *Le dictionnaire des synonymes*; 9. *Le dictionnaire étymologique*; 10. *Le dictionnaire analogique et les dictionnaires spécialisés*; 11. *Le dictionnaire et la vie des mots*; 12. *Le dictionnaire et les mille services qu'il peut rendre*. Nihil dubii est quin hoc opus magno futurum sit adjumento et magistris in laboribus scholarum moderandis et alumnis in lexico cujuslibet linguae acquirendo atque amplificando.

FONTAINE, J. — *La littérature latine chrétienne*. Ed. Presses Universitaires de France, Paris, 1970. Pag. 128.

Cum in primis ad corruptae latinitatis aetatem pertinerent neque eis theologia neque historia litterarum scriptorum dignitatem auctoritatemque tribuerent, scriptores latini christiani diutissime quasi in oblivione jacuerunt. Sed opinionibus praejudicatis decursu temporum detractis, ex quo hujus modi scriptores sine ira et studio pertractari incoepti sunt in rebus biblicis et mediaevalibus cognoscendis recentis scientiae exegeticae rationibus laboribusque romanistarum, laudem summorum scriptorum ab ea oblivione vindicaverunt. Est ergo quod maximas habeamus gratias Prof. J. Fontaine cum admodum ad pristinum honorem restituendum scriptoribus latinitatis christianae contulerit hoc volumine cujus indicem ad legentium notitiam praebeamus oportet: I. *La génération de Tertullien*; II. *La génération de Cyprien*; III. *La génération de Lactance*; IV. *La génération d'Hilaire de Poitiers*; V. *Ambroise de Milan, maître de vie*; VI. *Jérôme de Stridon, moine et bibliste*; VII. *Augustin de Thagaste, évêque d'Hippone*; VIII. *L'essor de la poésie de Damasce a Paulin*; IX. *Les fondateurs du Moyen Age*. *Bibliographie sommaire*.

POTTIER, S. — *Presentación de la lingüística. Fundamentos de una teoría*. Ed. Alcalá, Madrid, 1968. Pág. 152. 150 ptas.

Prof. B. Pottier jam diu in disciplina linguistica laborans multa maximi in re momenti opera vulgavit. Huc accedit hoc volumen interpretatione hispanica ab A. Quilis instructum quod "Presentación de la lingüística" inscribitur. Quid sibi auctor proposuerit ex ipsius verbis patet: varios linguisticae adspectus considerare in primis muneris officiique linguarum. Quaestiones

singulae accuratissima ratione ac via scientifica tractantur, quamvis breviter, cum ampliore modo exponi possint. Quibus quaestionibus singulis pertractatis opus est in summam quandam rite constitutam eas redigere; ea tantum condicione certa ac constituta terminologia fieret cohaerens rationibusque probata: theoria sine exemplis et exempla sine theoria rejicitur. Si vis, en potest operis indicem inspicere: *Prefacio. Plan. Introducción. Generalidades. El lenguaje. Las lenguas. Terminología. Una lengua* (p. 13-46). *Los medios de expresión* (p. 47-51). *La estructuración sintáctica* (p. 53-64). *La estructuración semántica* (p. 65-124). *El mecanismo semasiológico* (p. 125-133). *Las características del signo* (p. 136-140). *Bibliografía. Índice de términos* (p. 143-152).

GOHL, W. — *La educación musical hoy*. Ed. Studium, Madrid, 1971. Pág. 110.

Prof. W. Gohl, qui plurimis est cognitus ex auditionibus radiophonicis et acroamatis ubi variis instrumentis musicalibus ludere solet vel tanquam orchestrae chororumque moderatorem sese habet, post decem annorum experientiam in musicae tuendae schola cum pluribus 1800 alumnis, his quaestionibus praecipuis opusculi hujus ope responsa dare contendit: quo tempore institutio in musica et per musicam incipere debeat, nonne filius noster musicae habeat aptitudinem, possitne aptitudo temptari ut quis aliquo instrumento ludat, quid de impedimentis, de taedio, de experientia in instrumentis exercendis, quid de exercitiorum arte, quid de communiter interpretandi sensu dicendum sit? Paucis verbis en liber quo maximi momenti monita parentibus, professoribus, paedagogis per utilia praebentur.

HÄRING - DELHAYE - LECLERCQ - VOGEL - NODET. — *Pastoral del pecado*. Ed. Verbo Divino, Estella, 1970. Pág. 378.

Disciplina pastoralis quae minime in theologia inniteretur, omni solido careret fundamento; theologia autem moralis quae psychologiae et apostolatus fines praeteriret, nequaquam finem suum nancisceretur. Hoc igitur opus alta videtur expositio disciplinae pastoralis confessionis, quam auctores rei peritissimi in specie biblica, psychologica, pastorali, cultuali pertractant. J. Leclercq tentationem investigat ejusque metaphysicam et psychologiam. B. Häring ante oculos habens quid Ecclesia sentiat de regimine animarum, arte quidem artium, conversionem pertractat tanquam exitum e peccato recentiore ratione ac via valde aliena a mediaevali, quae ei locum in disciplina morum non praebebat; praeterea de conversionis natura, via, ad spectu sacramentali atque ecclesiali vitae christianae non nullis animadversionibus de conscientiae examine deque christiani libertate adjectis. C. Vogel expositionem rei historicam seu summam exaravit, quae nullibi invenitur, quo pacto Ecclesia antiqua sentiret atque significaret poenitentiam, quamnam etiam ejusdem evolutionem hucusque sit assecuta. H. Nodet de psychanalyti deque culpa qua homo tenetur disertissime agit. Opus paucis verbis omni laude dignum, quod maximum erit adjumento cum animarum pastoribus tum rerum ad regulas morum pertinentium studiosis.

ALSTEENS, A. — *La masturbación en los adolescentes*. Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 240. Ptas. 150; USA \$ 2.14.

Inter adulescentium quaestiones

masturbatio una in primis perturbat animos non tantum ipsorum puerorum verum etiam quodam modo institutorum ducumque spiritualium. A. Alsteens examini subicit recentia de psychologia dinamica opera; paucis verbis masturbationem quaedam in se contraria species implicatur: in parte adulescentis incremento est quid obnoxium significationemque quandam juxta naturam heterosexualem prae se fert, in parte autem signum effici non unquam potest altiorum difficultatum dynamicarum. A. Alsteens varias de masturbationem quaestiones proponit tractandas atque solvendas adulescenti, qui, dum maturescit, veram aequilibratem sexualem acquirere debet; praeterea quo modo quibusque conditionibus in re agendum sit institutori auctor describit. Praefatione atque introductione peractis opus in tria disperditur capita quorum en indices habes: I. *Resumen de las grandes etapas del pensamiento sobre la masturbación*; II. *El problema psicológico de la masturbación en el adolescente*; III. *Nuevas implicaciones para la acción pedagógica*. Anexo: *Moral y pastoral ante los problemas planteados por la masturbación adolescente*. Conclusión. Bibliografía.

COLOMB, J. — *Manual de catequética. Al servicio del Evangelio*. Tomo I. Ed. Herder, Barcelona, 1971. Pág. 702.

Labor Prof. J. Colomb fines libri manualis plerumque more usitatos non tantum numero paginarum verum etiam cogitatis theologis, psychologicis, socialibus, paedagogicis quae universo opere exponuntur, longissime superat. De catechesi seu de christianae doctrinae institutione agitur ad ejus formam didacticam quod spectat; proinde maxime interest structuras fidei intellectuales rationalesque considerare.



quibus summa ejus deposito fidelitas possibilis efficiatur. Tamen praecipua in auctoris cura est ut catecheseos institutorem adjuvet ad privatam vivamque fidem instituendam: quo modo non doctrina sed nuntius tradatur qui significationem vitae humanae conferrat eamque penitus immutet, ita autem ut et fidei et naturae hominis, qui hujus modi nuntium accepit, fidelitas perseveret. Liber quaedam summa videtur recentissimae disciplinae pastoralis, tentaminibus, cogitatis, experimentisque tum privatis cum communibus refertus. En primi voluminis index: *Introducción. Libro primero: Los principios de la catequesis. Parte primera: Fidelidad a Dios. Parte segunda: Fidelidad al catequizado. Libro segundo: Las diversas potencias humanas en el acto de la catequesis.*

DE ANDRÉS, R. — *Contamos contigo, Señor.* Ed. Studium, Madrid, 1971. Pág. 382.

Rarissime locutio fortunatior existit quam ea quae juventutem hispanicam ad varias corporis exercitationes adhortatur quaeque vulgo "Contamos contigo" vernacule sonans, ita latine subaudiretur: "Te non praetermittimus". Quod consilium R. de Andrés ad vitam christianam fovendam opportune traducit, quae quasi certamen in stadio vere aestimatur, in iis in primis quae ad orationem cum Deo attinet. Oratio enim semper necessaria habetur omnibus cujuslibet aetatis hominibus, praesertim recentioribus qui Deum praetermittere in orando non possunt neque debent, cum in periculo versentur ne Deum praetereant tanquam quid minime necessarium iis qui nostris temporibus in terram naturamque tam absolute dominantur. Idcirco R. de Andrés qui opere ad colloquia cum Deo habenda "Oración del siglo vein-

te" inscripto nos ante donaverat, aliud orationum volumen unoquoque anni die recintandarum nuper in lucem edidit ut christifideles in orando adjuventur neque in tentationem Deum delinquendi incidant.

RIBER, M. — *La mujer en la Biblia.* Ed. Paulinas, Madrid, 1970. Pág. 138.

Permultae variaeque videntur opiniones de femina emancipanda; in quibus vota quoque exaudita sunt III Conventus omnium gentium ad Apostolatum Laicorum fovendum ut Ecclesia feminis plena jura atque officia concedat altiusque investigetur locus quem in ordine sacramentali et ecclesiali feminae occupare debeant. Hoc igitur volumine M. Riber huic investigationi multum contulit. Juxta auctricis sententiam omnis exploratio de feminae in Ecclesia et in mundo muneribus initium capere debet a virtutibus dotibusque feminae altius investigandis, quae in consiliis divinis tanquam socia homini tributa est. Idcirco M. Riber opus in duas partes dividit, quarum primam feminae muneribus in Veteri Testamento investigandis destinat: in Pentateuco scilicet et in libris historicis, apud Israel prophetas sapientesque, in vita publica privataque; in altera autem parte feminae munera in Novo Testamento inquiruntur ad Evangelia et Scripta Apostolica quod spectat.

VARIOS. — *Sexualidad y castidad.* Ed. Paulinas, Madrid, 1971. Pág. 152.

Corpore seu collectione librorum, quod "Opinión y certeza" hispanice inscribitur, editores sibi proposuerunt, quin veritates diu tranquilleque in Ecclesia usu traditas praetermittant,

benevolo hospitio excipere theologorum praesertim exterorum opiniones et conjecturas quae optimae videantur, eo quidem consilio ut homines nostrae aetatis, qui quamplurimis omne genus quaestionibus excruciantur, adjuventur ut sensum vitae mysteriique christiani recte intellegant. Magna cum videatur nostris temporibus de sexualitate quaestio, editores lucubrationes peritissimorum in re scriptorum collegerunt, ut novam lucem, ad sexum castitatemque quod attinet, afferant. Maximi momenti, quae sequuntur, argumenta tractantur: P. BEAUCHAMP, *A través de Canaán*; J. GILLET, *La castidad de Jesucristo*; M. BELLET, *Crisis de costumbres*; J. P. CHARRIER, *La sexualidad, ¿función o conducta?* D. BERTRANDR, *Una castidad humana*; J. M. LE BLOND, *Unidad de la experiencia cristiana*; A. LAURAS, *Castus (Reflexiones sobre una palabra ambigua)*; M. CANEVET, *Sexualidad y pecado en San Gregorio de Niza*; M. ROY, *Un coloquio sobre el celibato*; N. FABRE, *Educación sexual, educación sexuada*.

MAERTENS, T. — *Libro de oración. Para la vida en grupo, para la vida cotidiana*. Ed. Marova, Madrid, 1971. Pág. 248.

Ex quo Christius Dominus orationem "Pater Noster" recitare nos educit, Patrem in spiritu et veritate adorare semper fuit christianis nova perpetuaque cura. Hodierna liturgiae renovatio, experimenta in christifidelium conventibus habita, studium privatum verae genuinaeque orationis, clarissime testantur quanta haec in Ecclesia cura sit. Nam "Pater Noster" oratio semper nobis est innovanda nostroque dicendi

generi sensibusque, studiis atque spei continuo accommodanda. Hic liber nihil nisi testimonium aliud ita precandi esse contendit. Orationes hae novae in duas operis partes distribuuntur: orationes ordine liturgiae chronologico comunitati recitandae, quae sensum quendam universitatem prae se ferunt historiamque generis humani divinaeque salvationis revelant; orationes vero privatae quae Patri dirigantur e vita eventibusque cotidianis exortae.

DE LA HERA - SAIZ - INIESTA - APARISI. — *Cantando mientras El vuelve. Canciones para el encuentro y para el camino*. Publicaciones ICCE, Madrid, 1969. Pág. 166.

Universa orbis terrarum juvenus mundum vere humanum una spe desiderat. Juventus autem christiana novum in fide sua invenit incitamentum expectationemque quoque suam in spem certam conversam contemplatur. Cum iter faciat cumque Jesum Christum exspectet, en "cantica ad viam" et "cantica ad expectationem" perficiendam, donec Ipse facie ad faciem ad nos perveniat. Liber est collectio canticorum recentium quae a juvenibus saepe usitantur; ita textum seu litteram canticorum oculis conspicientes juvenes facillime memoria cantilenam recordando et in coetibus et in liturgia musice interpretabuntur. Videant lectores libri indicem: I. *Canciones para el camino: Negros espirituales (para el camino). Voces amigas (de nuestra tierra). Folk scout, Canciones del otro lado del mar. Amigos de Francia*. II. *Canciones para el encuentro: Salmos. Cantando el Evangelio*.

MARIANUS MOLINA, CMF.

# BIBLIOGRAPHIA

DENIS, H. — *El sacerdote del futuro*.  
Ed. Studium, Madrid, 1971. Pág.  
120.

Opusculum quod iudicio critico instruimus, si eius brevitatem densitatemque perpendimus, multis hujus modi operibus ampliore paginarum mole longe praestat. Ex eius altis uberibusque considerationibus hanc unam significare nobis liceat: sacerdotem esse debere "signum" Christi. Quod certo quodam modo omnis christiani proprium videtur; aetas enim praetermissa est cum Ecclesia in ecclesiasticos et in laicos divisa erat. Ecclesia Christi una dumtaxat est et dumtaxat ex christianis iisdem constat, etsi diversa eorum munera officiaque videantur. Intra proprium ministerium sacerdos Christi signum modo peculiarissimo esse debet. Signum esse idem atque Christum revelare videtur, proprium animum propriamque ingenii naturam cum Christo commiscere, ita ut minime quis per se ipse vivere videatur, sed Christus in eodem vivere.

PIZARRO, E. — *Psicología del adolescente*. Ed. Studium, Madrid, 1971. Pág. 174.

Hic liber adolescentibus destinatur quo eis praecipuae psychologiae recentis cognitiones commodentur. Sunt etiam, praeter adolescentes, majores verbi gratia natu, parentes, puerorum institutores, qui omnes penitus cognoscere debeant juventutem. Saepissime autem cum libri tum acroases rationibus locutionibusque technicis nimium laborant quibus hujus modi cognitiones psychologicae quodam modo im-

pediuntur. Quae omnia sibi auctor evitare proposuit, ita ut simpliciter sed amene subtiliterque res a se ipso excogitatas expromat. Tibi operis indicem cognoscere liceat: I. Fuentes de la personalidad (p. 5-44). II. La sensibilidad del adolescente (p. 45-102). III. El mundo del inconsciente (p. 103-124). IV. Los valores del espíritu (p. 125-171).

LEBRET, G. — *El ocio en los jóvenes*.  
Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág.  
172.

G. Lebret, Prof. disciplinarum psychologicarum in Facultate Litterarum atque Scientiarum Humanarum Lugdunensi, opus exaravit utilissimum, nam, ut in introductione ipse asserit, saepissime qui instituendis adolescentibus vacant parum vel fere nihil de iisdem compertum habent. Opere quod "El ocio en los jóvenes" inscribitur res notitiaeque certae sumministrantur de modo sese gerendi adolescentes inde a quindecim usque ad octodecim annos. Maximi momenti est inquisitio inter pueros puellasque in Francogallia peracta, qua auctor certiores nos facere intendit quid de exercitationibus ludicris, quid de libris legendis, quid de radiophonia et televisione, quid de cinematographeo, quid de theatro, quid de acroasibus, quid de diebus festis, quid de choreis, quid de parentibus, religione, re politica ceterisque sentient adolescentibus. Quo notitiarum aceruo qui pueros instituere debent eos conformare poterunt ad bonam frugem moresque optimos acquirendos ut vitam adultorum rite ingrediantur.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

# Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

## EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

---

JIMÉNEZ, Repetitorium ... .. ptis.	70
» De Orthographia latina (altera editio).	» 20
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio).	» 100
«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI	
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.).	ptis. 12
» <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ...	» 12
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i> ... ..	» 12
MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.) ,.....	» 14
JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ...	» 12
» <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.) ... ..	» 12
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i> ... ..	» 12
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.) ... ..	» 16
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.) ... ..	» 12
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i> ... ..	» 10
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i> ... ..	» 14
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I) ... ..	» 14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i> ... ..	» 12

---

## Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

173	Tàcit - Annals (vol. V) Llibres XIV - XV
174	Tucidides - Història de la guerra del Peloponès (vol. V)
175	Herodes - Mimiambes
176	Tàcit - Annals (vol. VI) Llibre XVI
177	Aristòfanes - Comèdies (vol. II)

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Via Layetana, 30 - BARCELONA